





Pr. 15. N. 13.

DISSERTATIO INAUGURALIS

De.

21  
PROBANDA VER-  
SIONE CREDITI,

1771 36a  
13  
*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO WILHELMO,  
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS  
BRANDENB. HEREDE &c. &c.

*In Regia hac Fridericiana,*

EX DECRETO ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICAE,  
P R Æ S I D E

DN. SAMUELE STRYKIO, Jcto,  
SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIAE  
ET ELECTORIS BRANDENB. CONSILIARIO INTIMO,  
PROFESSORE PRIMARIO, ET FACULTATIS  
JURIDICAE ORDINARIO,

PATRONO OMNI ANIMI CULTU AETERNUM  
PROSEQUENDO,

P. 267.  
PRO LICENTIA U. J.

d. Maji A. R. S. M DCCI.

Horis ante & pomeridianis,

IN AUDITORIO MAJORI,

*publica eruditorum disquisitioni submittit*

JOHANNES CHRISTOPHORUS LUCAS,

RATISBON.

HALE MAGDEBURG. Typis Johannis Jacobi Krefbii, Acad. Typogr.



S.IMP. ROMANO-GERMANICI  
LIBERAE ET AUGUSTAE REIPUBL.  
**RATISBONENSIS,**  
PATRIÆ PATRIBUS BE-  
NIGNISSIMIS FELICISSIMIS,

V I R I S

*Illustribus, Magnificis, Perstrenuis,  
Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis,*

**DN. CAMERARIO,**  
CONSULIBUS

ET

SENATORIBUS RELIQUIS,

*Dominis suis, Mæcenatibus, Patronis  
ac Promotoribus submisse suscipiendis,*

dissertationem hanc inauguralem  
in gratianimi tesseram & studiorum suorum  
commendationem debita cum observantia

D. D. D.

*Clientis humillimus*

JOHANNES CHRISTOPHORVS LVCAS



dem cautela est, ut in instrumentis obligatoris exceptioni, pecuniæ non in rem versæ, conceptis verbis renunciaretur; vix enim ostendetur obligatio paulo plenius concepta, quæ non mox post ingressum hanc renunciationem præ se ferat: Er habe die Gelder so fort zu seinen scheinbahren Nutzen angewandt/ wie er dann zu solchen Ende der exception non numeratæ & non in rem versæ pecuniæ hie mit wohlwissentlich sich begeben haben wollte. Verum hæc renunciatio aut plane abundans est, aut si pro ratione contrahentium versionis probatio forte necessaria, renunciatio hæc penitus otiosa est: Nec enim ille versionis probationi renunciare potest, cujus intuitu jura constituerunt, ne promiscue illi mutuum daretur; æquali enim facilitate ad renunciandum descenderet, qua animi proclivitate fertur ad mutuum accipiendum. Quapropter non inutilem operam me navaturum esse censui, si casus, quan-

quando creditori incumbat sibi prospicere, ut pecunia alteri mutuo data in utilitatem ejus revera impendatur, nec male consumatur, & per consequens, quando creditio versio probanda sit actori creditum repenti, indagarem, & præfenti Disputatione Inaugurali discuterem, simulque modum demonstrarem, versionem legitime probandi. Materia autem hæc licet diffusa sit, in compendium tamen illam redigere libuit, ne metas Speciminis Academici transirem: Quare si non ubique me Tux intentioni satis fecisse deprehenderis, Benevole Lector, veniam mihi indulgebis. Deus Opt. Max. gratia sua mihi adsit, ut quod ejus nutu coeptum, in divinæ gloriæ promotionem & proximi salutem vertatur; Hoc enim demum bene versum esse, credendum est, quod in Dei honorem, & proximi commodum impenditur. Sit itaque

## Natura pecuniæ creditæ in genere.

## §. I.

*Mutuum  
re contin-  
bitur.*



Mutuum de pecunia credita aut mutuo data hic agendum sit, ipsius contractus indoles prout hæc jure Romano se habuit, & prout receptis moribus Germaniæ paulisper immutata, paucis præmittenda erit. Constat autem, mutuum esse contractum, qui non consensu, sed re inicitur, & hinc cum aliis contractibus realibus, ut vulgo vocantur, scilicet commodato, deposito & pignore, consensualibus opponi; non quod consensus in mutuo exulet, hic enim in omni conventionem necessarius est *L. 1. §. 3. ff. de pact.* Sed quod ille non sufficiat ad hunc contractum constituendum, verum pecunia vel re demum tradita contractus realis constituatur *L. 2. §. 3. ff. d. R. C. Vn-* de satis constat, ex promissione mutui nullam nasci obligationem, sed uti is, qui pecuniam se mutuo daturum promissit, ante ejus numerationem pœnitendo à promissione discedere impune potest, ita pariter is, qui creditam pecuniam se accepturum spondit, in potestate sua habet, ne accipiendo se ei obstringat *L. qui pecuniam 30. ff. d. t.* quod procedit, etiamsi mutuum accepturus jam tum hypothecam pro futuro credito acceperit, nihilominus in potestate ejus est, post cautionem interpositam, pecuniam non accipere *L. Titius 4. ff. quæ res pignor. L. 11. pr. ff. qui potior. in pign.* circa quas LL. posteriores explicandas utut non convenient DD., & plerique cum Bartolo *ad cit. l. 4.* illas intelligant, si pecunia gratis mutuo promissa sit; secus si sub usuris, cum priori casu creditoris non intersit, an recusetur mutuum, an acceptetur; bene tamen casu posteriori, cum forte alibi æque commodam sœnerandi

*Obligatio  
ex promissio  
mutuo  
nulla est.*



randi occasionem non sit habiturus: Sed genuina decisionis ratio est, quod nec in creditore nec debitore ex sola promissione mutui nascatur obligatio dandi aut accipiendi, nisi pecunia jam revera intercesserit.

§. II. Non tamen existimandum est, Romanos alio defuturos fuisse remedio, quo pecunia indigens adstringere potuerit mutui promissorem ad fidem datam servandam, & pecuniam mutuo promissam exsolvendam. Stipulationem enim adhibebant, qua simplicem mutui promissionem confirmabant & poenitendi licentiam excludebant, e. g. *tunc ergo promittis, te crastina die mihi mutuo daturum 100.?* promitto: Adhibebatur enim stipulatio in omnibus negotiis, ubi quis datum facturumve se quid promittere volebat *L. 5. §. 1. d. V. O.* & hinc in specie etiam ad mutuum confirmandum adhibebatur, uti apparet ex *L. 2. §. fin. L. 9. §. 4. 5. 7. ff. d. R. C. L. 32. §. L. fin. ff. d. i.* hac itaque ratione certo obligatum sibi habebat mutui promissorem stipulator; quod & in aliis contractibus, ubi alioquin poenitentiae locus esse solet, procedit, uti de permutacione constat, per *L. Ex placito 3. C. d. rev. permut.* Ex quo textu insuper apparet, licet stipulatio non efficiat, ut ante rei interventum adsit mutuum vel permutatio, ex stipulatu tamen mox actionem nasci. Add. *L. Nuda 5. C. d. contrab. stipul. L. 45. ff. d. pact. L. 27. 28. C. eod.*

*Hinc promissio mutui stipulatione confirmanda.*

§. III. Quod si hanc rem ad mores examinemus, etiam in mutuo ex nuda promissione de credendo obligationem efficacem nasci censeo. Si enim hodie ex plerorumque confessione eadem vis est nudi pacti, determinati tamen & sufficientem consensum exprimentis, quam stipulationis, ita ut ex tali pacto valida detur actio *Carpz. part. 2. const. 19. def. 17. num. 8. Mev. p. 5. dec. 408.* quis dubitaret, illum, qui mihi desideranti mutuo 100. promittit, inde obligari ad fidem promissi solvendam. Quod si dixeris, naturam hujus contractus ita comparatam

*An hodie ex promissio mutuo quis obligatur!*

Germanis i-  
gnotum di-  
scrimen in-  
ter contra-  
ctus reales  
& consen-  
suales.

An proban-  
da hic stric-  
tus Romani  
observan-  
tia, vel eju-  
s mutatio?

ratam esse, ut quis non præcise ad promissa obligetur, nisi res inter venerit, vel pecunia numerata fuerit; illi repono, hoc juris Rom. esse, sed an Germanæ fidei & candori conveniat, mutuum citra stipulationem promissum egenti denegare, sed prævia interrogatione promittentem ad fidem promissi servandam demum adstringere, nescio. Etenim apud præcos Germanorum, omnis promissi fidem sanctam fuisse Tacitus autor est *de morib. German. cap. 24.* quod pluribus perfequitur Dn. Schilter *Exerc. 8. ad ff. §. 2.* Unde non existimo, apud ipsos discrimen fuisse inter contractus reales & consensuales, sed omnia ipsorum negotia fide semel data nitebantur. Si Speculum Saxon. antiquissimum illud juris Germ. inferioris Corpus consulamus, ne vestigium quidem apparet, diversam fuisse promissorum obligationem in mutuo, commodato vel deposito, quam in locato vel mandato. Ad jus Canon. vero, quod antiquius in Germania est jure Rom., si respiciamus, pariter ignota est illa contractuum distinctio, nec magis quis ibi ex empto & vendito per consensum obligabatur, quam in permutatione; imo in hac solus consensus permutationi præstitus pro ipsa permutatione reputabatur, etiam quoad pœnam, *cap. cum olim 7. X. de rer. permut. & hinc perpetua canonum regula erat: Studiose agendum esse, ut ea, que promittuntur, opere compleantur. cap. qualiter 3. X. d. Pact.*

§. IV. Docendum itaque erit illis, qui pacto de credendo vel commodando etiam in foris Germaniæ omnem obligandi efficaciam detractam volunt, recepto jure Romano, relegateam esse præcise Germanorum fidem, qua se ex quavis promissione honesta obstrictos censebant: Illos enim non moramur, qui hic ex generali præsumptione pro observantia juris Civilis militante probationem in nos detorquere cupiunt, urgendo; Omnem illum, qui quicquam ex jure Romano in foro mutatum dicit, probare debere hujus juris immutationem

tionem, in praesidium vocantes vulgatum illud *ex L. 27. C. de Test.*  
 quod non mutatum, quare stare prohibeatur; cum enim pro  
 nobis prisca Germanorum observantia militat, ostendendum  
 dissentientibus erit, recepto jure Romano, pactis efficaciam  
 detractam, & stipulandi necessitatem introductam esse. Sa-  
 ne quod Saxoniae mores attinet, cum illa semper jurium anti-  
 quorum tenax fuerit, & jus Romanum non nisi in subsidium  
 receperit, asseri nullo modo poterit, ibi pactorum fidem esse  
 sublaram, & stipulandi necessitatem introductam: Hinc nemo  
 unquam ex Saxoniae JCtis asseruit, hodie in Saxonia ex pacto  
 non dari actionem. Quod vero terras alias concernit, ubi ju-  
 ris Romani major autoritas, salva res foret, si illo jure recepto,  
 simul quicquid hucusque in Germania pro perpetua lege ob-  
 servatum fuerat, abrogatum omne doceri posset; Verum si  
 publicas leges illas, quibus autoritas juri Romano indulta,  
 penitus inspiciamus, apparebit, certas illas Germanorum  
 observantias plane non sublatas, sed potius expresse reserva-  
 tas fuisse: Ita enim Carolus V. in *praefat. proemii Constitut.*  
*Criminal.* disposuit; pronuntiandum esse in judiciis **Denen**  
**gemeinen Rechten/ Billigkeit/ und löblichen hergebrach-**  
**ten Gebräuchen gemäß.** Et in Ordinatione Judicii aulici  
 Ferdinandus III. Imperator non nisi deficientibus aliis rece-  
 ptis juribus & consuetudinibus ad jus Romanum recurren-  
 dum esse statuit, his verbis: **Gute Ordnung und Gewohn-**  
**heit/ und in Mangel derselben die Käyserliche Rechte in**  
**acht nehmen.** De quo pluribus videatur Dn. Praeses *Dissert.*  
*prelimin. de Usu & Auctorit. Jur. Roman. §. 27. & 28.* Qua  
 ergo fronte asseri amplius poterit, jure Romano recepto in  
 Germania simul simplicium pactorum obligationem subla-  
 tam esse. Quod vel unico illo adhuc doceri poterit argumen-  
 to; quod jure Romano nulla fidejussio fieri potuerit inter ab-  
 sentes aut per literas, cum stipulatione praecise opus habue-

*Jus Roma-  
num rece-  
ptum salva  
bonestis mo-  
ribus.*

*Exemplum  
in fidejus-  
sione.*

B rit,



rit; *L. Blanditus 12. C. de Fidejuss.* Vid. Hering, *Tr. de Fidej. Cap. 11. n. 1. seq.* hæc vero per literas & inter absentes fieri non potuerit *L. 1. pr. ff. de V. O.* Quis vero est, qui in dubium vocet, hodie etiam simplici consensu aut nudo pacto, vel etiam inter absentes per literas fieri posse fidejussionem. Hering, *d. cap. 11. n. 41. n. 82. seqq.* Carpz. *P. 2. C. 20. D. 9.* Vel hodie mutuum, qui scribere possit, fide jubere, aut valide pacisci posse, quod tamen jure Romano non poterat. *d. L. 1. pr. ff. de V. O. L. 1. §. 14. seqq. ff. de O. & A.*

*Simplex promissio cuius exigentia.*

§. V. Ex his itaque concludo, hodie aliquem ex promissio mutuo etiam citra stipulationem obligari, si ex verbis promissoris appareat, quod pure ac simpliciter mutuum promiserit: Aliud enim si dubitanter responderit, *Er wolte sehen/ daß er ihm mit dem verlangten Gelde helfen könne/* hoc enim casu compelli non poterit ad pecuniam mutuo dandam, quod secus est in pura promissione, ut hinc si non ex mutuo, saltem ex pacto parata sit actio, ad compellendum promissorem, quo fidem promissi servet, nulla enim ratio ostendi poterit, quare in aliis pactis fides servanda, sed pactum de mutuo dando impune violari possit. Interim praterire non possum, in novissimo *Juris Prutenic. Corpore de Anno 1685. Lib. 4. Tit. 6. §. 2.* retentam fuisse juris Romani distinctionem in contractus reales & consensuales, verbis in hunc modum conceptis, *und diese contractus so aus Bewilligung geschehen/ werden darüm also genandt/ daß darüm die bloße Bewilligung und consens eine obligation, Verbindung/ so wohl auch eine action und Forderung macht: Welches doch in andern contracten nicht geschiet;* Verum uti juris illius Prutenici compilatores ductum Institutionum Justinianearum sere ubivis secuti; ita idem hoc passu fecerunt; eo ipso tamen, ut contractus reales non nisi rei interventu obligationem producere asserant, non tamen pacto de mutuo vim suam detraxerunt, aut actionem ad mutuum

*Jure Prutenico retentam distinctionem contractuum realium.*

*salvata mentis auctoritate patet.*

um promissum petendum denegarunt, Si enim conferatur Tit. 16. Art. 4. d. Lib. 4. apparet, ex ejus §. 1. & 2. controversiam illam vulgarem *an ex pacto detur actio*, sublatam, & ejus loco statutum esse, **Daß ein jeder/ welcher den andern/ der es vor feste annimmt und mit bewilliget/ etwas mit Bedächtigkeit verspricht und zusaget/ es sey mit blossen Worten/ oder andern Zusagen/ die Worte seyn wie sie wollen/ steif und feste halten solle/ dann es stehet menschlicher Erbarkeit zu/ daß man glauben halte.** Unde omnino constat, etiam conventionem de credenda pecunia hodie validum esse ad producendam actionem, si non ex contractu, certe ex pacto. Vid. Dn. Praeses in *us. ff. mod. Tit. de pactis §. 7.* & hanc simplicis pacti efficaciam remota Lege Civil. contrarium disponente, agnoverunt ipsi Impp. in *L. Si tibi 27. C. locat.* ubi his verbis rescripserunt: *Si conventio placiti sine stetit, ex nudo pacto perspicis, actionem jure NOSTRO nasci non posse, quid aliud voluere dicere, quam aliarum quidem gentium jure exinde nasci actionem, nullam vero duntaxat Jure Romano.*

§. VI. Queritur autem, an sicuti promissor mutui obligatur ad mutuuum praestandum; ita quoque ille cui promissio facta, teneatur ad mutuuum acceptandum, si forte hic postea pecunia desiderata opus non habeat? Jure Romano mutuuum recusari posse à debitore, etiamsi hypotheca jam constituta, ostensum est supra §. 1. sed cum ibi simul additum, hoc potissimum inde descendere, quod promissio mutui jure Romano ex nulla parte obligationem inducat, merito dubitatur, annon postquam in §. §. *praced.* evictum, hodie etiam ex promissione mutui eandem nasci obligationem, quam si solennis stipulatio interposita fuisset, ille, qui mutuam rogavit pecuniam, praecise illam accipere teneatur? & existimo, ex stipulatione interposita de credenda pecunia, obligationem accipiendi non produci: qui enim ab altero stipulatur pecuniam mutuam, promissorem

*An rogans  
mutuum  
teneatur  
pecuniam  
accipere?*



sibi obligat, non se promissori; cum stipulatio ex omnium consensu contractus unilateralis non bilateralis sit, & hinc reciprocam obligationem producere nequit; Quo itaque apud Romanos accipiens etiam adstringatur, repromissione opus erat de pecunia mutua accipienda; Ut ut itaque mutua stipulatione opus hodie non sit, reciproca tamen promissione opus erit, de dando & accipiendo mutuo, ut uterque obligatus dici possit.

*Interesse  
creditoris  
concurrere  
libet.*

§. VII. Interim tamen, etiam si vel per stipulationem vel per pactum promissio de acceptando mutuo intervenerit, poenitentiae locus esse poterit, etiam in judiciis nostris, si mutuum sine usuris promissum sit, cum ita plane non interfit creditoris, an alter pecuniam creditam acceptet, annon; cessante vero interesse, cessat actio tam de jure Romano quam usu fori, ubi exceptio, *tua non interest*, repellit omnem agentem Card. Tusch. Pract. Concl. Lib. I. concl. 315. n. 1. seqq. Barbof. *Thesaur. loc. sub voc. Interesse Axiom. 8.* & hinc etiam in contractibus consensualibus utrinque obligatoriis cessante interesse cessat actio ex illo contractu §. n. ibi: *ut integra causa mandatori reservetur. Inst. Mandati L. 27. §. 2. ff. Eod.* Quod si itaque quis mutuum sub usuris rogaverit, vel aliud interesse creditoris concurrat, tunc poenitentia roganti non competit, sed pecunia mutuo promissa aut acceptari, aut aequae securae occasio forenrandi suppeditari ipsi debet, quo hac ratione creditoris interesse excludatur.

*An hodie  
plus promitti  
possit  
a debitoribus  
quam mutuo  
acceptum.*

§. VIII. Ex haecenus adductis colligendum videtur, hodie licitam esse conventionem, ut plus reddatur, quam mutuum datum, quod jure Romano omnino illicitum erat, cum ibi mutuum per se sit mere gratuitum, Cancr. *Variar. Resol. Part. 3. Cap. 7. n. 61.* unde non subsistebat promissio debitoris qui decem mutuo acceperat, ut undecim redderet, *L. Rogasti ut. §. ff. de R. C.* Quae decisio hoc fundamento nititur, quod contractus reales obligationem producere nequeant ulterius, quam qua

qua res intervenit, nec consensus hic quippiam ultra rem operetur. At vero, cum pactum per se ad agendum hodie efficax sit, id quidem certum manet, conditione certi ex mutuo non plus repeti posse, quam decem quæ numeravit; quin vero undecimus thalerus ex pacto peti possit, nil obstare videtur; Verum enim vero, quia illud quod in mutuo amplius promittitur, usurariam pravitatem sapit, quæ legibus severe interdicitur, hoc pactum utpote contra leges initum, nullius momenti erit, arg. L. 5. C. de LL. Conf. *Ordinat. Polit. de Anno 1577. Tit. 17. Carpz. Decis. 146. n. 14. seqq.* Unde simul apparet, illicitum esse pactum, si quis credenti centum thaleros in moneta vulgari, promittat solutionem in centum thaleris Imperialibus, cum & hic manifesta sit usuraria pravitas, quæ licet non in numero, in qualitate tamen nummorum latitat, Conf. Philipp. in usu Pract. *Inst. L. 13. Eclog. 35. n. 12.* Quatenus ergo illud, quod pacto ultra sortem creditam promittitur, legitimam usurarum quantitatem non excedit, pactum hoc sustinebitur. Vid. L. 9. C. de non num. pec. Da. Brunnem. ad d. L. Rogasti n. 8.

*An restitutio possit promitti in moneta meliori?*

§. IX. Porro jure Rom. stipulatio usurarum in mutuo in pecunia numerata consistente absolute necessaria erar, adeo ut sine illa, licet pacto usuræ promissæ essent, obligatio mere naturalis duntaxat non autem Civilis orta, & hinc nulla prorsus ad usuras actio dabatur L. 24. ff. d. P. V. sed retentio saltem concessa, si forte alter ita promissas ex ignorantia juris solverit, ac postea per conditionem indebiti reperere voluerit, L. 3. C. d. usur. Pacta enim exceptionem producebant, licet non actionem. Exceptio erat in mutuo dato (1) ab argentariis Nov. 136. Cap. 4. 5. quia horum vita fœnus erat (2) à Civitatibus ob singularem favorem L. 30. ff. d. usur. (3) in pecunia trajectitia, propter periculum, quod sustinet creditor L. 5. §. 1. L. 7. ff. d. naut. fœn. ubi promissor usurarum per nudum pactum etiam Civiliter obligatus erat. Quod si vero mutu-

*An hodie ad usuras in mutuo opus sit stipulatione?*

um in aliis rebus præter pecuniam v.g. vino, tritico consistebat, usuræ ex pacto recte petebantur *L. Frumenti 12. L. Oleo 23. C. de usur.* ratio diversitatis erat, quia harum rerum pretium facile mutari, atque ideo creditor damnum incurtere poterat. *dd. ll.* ibique Gothofr. Verum cum jure hodierno ex pacto detur actio, uti superius evictum est, usuræ pacto promissæ, quatenus illæ quantitatem LL. permissam non excedunt, indistincte præstandæ sunt. Huber. *in Prælect. ad ff. tit. d. usur. §. n.* Lauterb. *Colleg. Theor. Pract. ad tit. de R. C. §. 40.* Imo moribus mutuum mere gratuitum esse dici vix poterit; Quodli enim mutuum sine usuris datum, creditor ad minimum hoc consequitur privilegium, ut omnibus aliis chirographariis præferatur. Carpzov. *p. 1. c. 28. d. 153.*

Hodie in mutuo ex mora debentur usurae.

§. X. Ulterius in mutuo tanquam contractu stricti juris, neque ex mora, imo nec post litis contestationem usuræ debebantur. *L. 38. §. 7. ff. d. usur.* Casus exceptos vide apud Dn. Engelbrecht *in Compend. Jurispr. tit. de usur. §. 2. in f.* Hodie vero post Recess. Deput. *d. Anno 1600. §. 50* vel nun *152.* & Recess. noviss. *§. Anreichend die künfftige Zinsen 174.* differentia hæc inter contractus bonæ fidei & stricti juris fere sublata est, quanquam magis ex interpretatione extensiva DD. quam ex ipsius Constitutionis verbis. vid. Wehner *Observ. Pract. verb. Zins.* Christoph von Hagen *tr. d. usu usur. c. 6. n. 44.* ipse enim Reecessus *de Anno 1600. §. 152.* nominatenus de contractu mutui agit, ubi Creditori à tempore moræ in mutuo etiam citra promissionem 5. pro 100. assignantur; quod argumentum ob identitatem rationis merito ad reliquos contractus stricti juris trahitur, ita ut ex uno æque atque altero post moram usuræ debeantur Dn. Hopp. *ad §. 28. f. d. act.*

An nummi iidem restitui possint in mutuo?

§. XI. Cum autem mutui natura in hoc consistat, ut non tantum plenissimus rei creditæ usus, sed plane dominium transferatur *L. 2. §. 2. C. L. 4. ff. de R. C.* & hinc aliud, ejusdem ramentum



tamen generis, restituendum veniat, *L. 2. § 3. ff. d. t.* hinc dis-  
 quirunt, annon eandem rem, quam mutuo accepit, in specie  
 restituendo liberetur debitor? & affirmativa omnino certa est,  
 nam quod aliam rem æque bonam restituere possit debitor,  
 hoc in ejus favorem introductum, cui libere renunciat; nec  
 interest ipsius Creditoris, an eandem an similem rem recipi-  
 at, unde recusandi jus nullum habet; Quod si vero interesse  
 aliquod ostendere posset, ut si forte de commodiori genere  
 monetæ e. g. *ut pro thaleris ducati restituantur*, conventum  
 sit, (ad quod jure Romano stipulatione opus erat, nam pactum  
 contra libris stricti juris adjectum non producebat actionem;  
 hodie vero iterum simplex pactum sufficit) tunc iidem num-  
 mi restitui non poterunt; De cætero autem in eo tam jure no-  
 stro, quam usu fori maxima subest diversitas; an ab initio con-  
 tractus de iisdem nummis restituendis actum fuerit, an debi-  
 tor illos sponte reddiderit. Priori enim casu non mutuum,  
 sed commodatum est, si usus concessus, vel depositum, si cu-  
 stodiæ causa pecunia sit data, *L. 2. pr. ff. d. t. L. 4. ff. Commod.*  
 qua propter si hæc pecunia debitori citra culpam ablata, peri-  
 culum creditoris erit, utpote qui pecuniæ dominus mansit.  
 Vid. Cardinal Mantica *de tac. § amb. conv. Lib. 8. Tit. 4. n. 6.*  
 qui tamen *n. 21. § seqq.* male negat, sustineri pactum, ut ii-  
 dem nummi restituantur, cum hoc sit contra substantiam  
 mutui, quam contrahentes suo pacto mutare nequeunt; Li-  
 cer enim hoc admitti possit, si salvo pacto nihilominus mane-  
 re debeat mutuum; non tamen eatenus pacto deneganda  
 est efficacia, quo minus negotium vi pacti vel alterius contra-  
 ctus, cujus indolem assumit, sustineatur, & inde actio detur.

§. XII. Accedimus jam ad illustrem illam controver-  
 siam de mutatione monetæ; cum enim natura mutui exi-  
 gat, ut in eadem bonitate restituatur mutuum, qua acceptum,  
*L. 2. pr. § tot. L. 3. ff. de R. C.* moneta autem pro corrupta  
 hujus

*Quid si ab  
 initio con-  
 ventum de  
 iisdem num-  
 mis restituen-  
 dis?*

*De mutata  
 bonitate  
 monetæ.*

hujus seculi consuetudine, multis mutationibus obnoxia, inde graves subinde lites oriuntur, cujus qualitatis, vel bonitatis nammi sint restituendi? Sane circa mutatam monetæ qualitatem intrinsecam & extrinsecam praxis uniformis non est, cum vix provincia detur, quæ non speciale statutum de hac materia receperit. In Saxon. mutata bonitate extrinseca vel intrinseca, solutio fit secundum valorem tempore contractus, *vid. Constit. 28. p. 2. ibique Carpz. def. 4. 5. Richter vol. 2. decis. 72. Struv. Exerc. 16. §. 29. seqq.* hæcque decisio videtur fundamentum suum habere in *Cap. olim 20. junct. cap. Cum Canonice 26. X. d. censib. exact. & procur.* In Camera Imperiali quoque hæc sententia ceu communis observata est in causa Episcopi Basil. contra N. de Schaumburg teste Mynsing. *Cent. 4. O. 1. n. 4.* In Marchia extat Edictum monetale *de Anno 1623.* ubi distinguitur, aut aliquid expresse conventum, aut nihil. Priori casu solvendum quod promissum, quia debitor sine dubio ita expendit. Posteriori casu pro quinque thaleris unus restituendus; quo ipso respicitur ad monetam Anno 1621. & 22. usitatum. Inde haud pauci colligunt, mutato valore in Marchia non tempus contractus, sed solutionis inspiciendum esse, nam tempore solutionis quinque thaleri pro uno tantum potuerunt expendi confer. *Brunnem. Exerc. 17. ad Inst. tit. 15. p. 148.* Ego tamen existimo, adhuc vi illius Edicti respectum haberi ad bonitatem internam temporis contractus; si enim adhuc tales thaleros haberemus, qualibus Anno 1622. utebantur hic locorum, quorsum pertinent *die Engelthaler* / eosdem recipere teneretur creditor; sed cum hi haberi nequeant, tot alii thaleri solvendi, quot bonitatem illius temporis referunt. Hinc breviter ita sentio: Optime facturos esse contrahentes, si instrumento insinuent certam æstimationem cujusvis floreni vel thaleri, ac juxta illam iterum restitutionem fieri debere caveant, ita enim innumeras evitabunt lites, cum in restitu-  
tione

tione standum sit illi, quod in obligatione expressum, Carpzov. P. 2. C. 29. D. 7. Dn. Præses in *Eautel. Contract. Sect. 2. c. 1. §. 21.* modo non concurrat usuraria pravitas, vel debitor pecuniam minoris valoris, cum tanto suo commodo expenderit, quasi pecuniam, quam sese restitutum promiserat, reapse accepisset, e.g. Si à debito ejusdem quantitatis se liberaverit. Vid. Richter *Dec. 72. n. 23.* Quod si vero inter partes hoc actum non sit, operam dabit debitor, ut restituere valeat nummos tales, quales mutuo dati, eos enim accipere debet creditor, qualicumq; etiam bonitate mutata: Si non possunt restitui, tot alii nummi solvendi sunt, quam expendi posset pecunia mutua, si in eadem bonitate adhuc adesset; ita enim damnum non sentiet creditor, ad quod in diverso genere monetæ restituendo respiciendum esse monet JCrus in *L. 99. ff. de Solut. Deckherr. Relat. Camer. n. n. 26.* Puffend. *de J. N. & G. Lib. 5. cap. 7. §. 6. seqq.* Cæterum de hac controversia præter citatos videtis Maurit. *Consil. Tubing. 6.* Bocerum *de jure monet. c. 2. n. 156. seqq.* Besold. *consil. 58. n. 29. seqq.* Casp. Anton. *Theaur. tr. de augment. monet.* Illud non possum non ex LL. Imperii adjungere, quod creditor à debitore solvente minores nummos pro majoribus ultra 25. fl. non teneatur accipere per *Münz. Ordnung de Anno 1559. §. 11.*

§. XIII. Ratione personarum mutuuum contrahentium id adhuc observandum, quod de jure Rom. mutuuum dare in specie prohibiti fuerint Præsides provinciarum *L. 33. ff. de R. C. c. 1.* An Magi-  
 ratu no-  
 stri mutu-  
 um libere  
 contrahant  
 terrores subditi ad contrahendum adigerentur Alciat. *ad d. l. 1.*  
 quæ ratio cum & in nostros Magistratus cadere possit, hanc legem etiam hodie observandam esse putat Strauch. *Exerc. 13. 2b. 3.* atque ab eo citatus Bachov. & rationem pro observantia illius juris subjungit Brunnem. *ad L. si per impressionem n. n. 5. C. d. bis qua met.* quod impressionis metus etiam in perpetuos  
 C  
 Magi-

*Ratio di-  
versitas o-  
fenditur.*

Magistratus cadere possit. Verum cum de jure Rom. officia-  
libus praesidum mutuum dare licitum fuerit, ob rationem quia  
fuerunt perpetui *L. 34. ff. de R. C.* eademque ratio in nostris  
Magistratibus obtineat, puto & in nostris eandem legis dispo-  
sitionem obtinere; quod scilicet ob perpetuitatem officii mutuum  
dare possint. Sichard *ad L. un. C. d. bis que metus caus.* Groenvegen  
*de LL. abrog. ad L. un. C. d. contract. judic.* Christinaeus *in Decif-  
cur. Belg. Vol. 2. dec. 86. n. 3.* Quod ego de pecunia foenori ex-  
posita intelligendum esse puto, quia foenus mutuo jungitur in  
*L. 33. & 34. ff. d. R. C.* Nam ut sine foenore subditis à Magistratu  
eredatur pecunia, prohibitione opus non habet, cum non adeo  
proclives sint, ut pauperibus subditis gratis succurrant: Hinc  
ratio prohibendi praecipue in lucro illo, quod à subditis duran-  
te officio sub titulo mutui extorquebant, consistebat. Praesi-  
des vero Provinciarum Romani eo magis coercendi erant, quo  
facilior ipsis patebat via in bona subditorum grassandi; nam  
quia non ignorabant, se brevi tempore potestate, qua tum pol-  
lebant, rursum exui, ad corradendam pecuniam unice intenti  
erant, quo splendidiorem in posterum vitam transigere pos-  
sent. Inde ortus ille metus concussionis ac terroris, cui  
ut obviam irent, legem sanciverunt Romani, ne ex Praesidibus  
Provinciarum auderet quispiam praedia locare, emere, vende-  
re *L. un. C. de contract. judic.* illa vero prohibitio neutiquam  
pertinebat ad magistratus urbanos, quippe qui & perpetui es-  
sant, & inspectioni Principis subjecti, Perez. *ad d. tit. n. 3.* quibus  
nostri merito comparantur, qui non adeo procul ab aula Prin-  
cipis remoti, ut inde subditis de concussionem querentibus in-  
promptu sit recursus ad superiore. Praeterea nimis durum fo-  
ret, Magistratus nostros ab exercitio commerciorum tanquam  
re merae facultatis penitus excludere, quod quidem in Roma-  
nis non adeo injustum, dum non nisi per annum negotiari ipsis  
interdictum erat: Exceptio esset, nisi & in nostris Magistrati-  
bus

*Limit. nisi*

bus concessio doceri posset, tunc enim omnino pro nullitate *concesso do-*  
 contractus pronuntiandum foret. Brunnem. *ad d. l. 33. ff. d. R. C. veri posse.*  
*inf.* sed non ea propter, quasi mutuū contrahere non potue-  
 rint, sed quod in hoc contractu ineundo potentia sua abusi-  
 sint; Hinc si concessio etiam in illis, qui Magistratus non sunt,  
 doceri possit, ex eodem capite annullabitur contractus: Ubi il-  
 lud obiter notamus, jure Magdeb. illum Magistratum, qui po-  
 tentia sua extorquet pecuniam, vel ad contrahendum subditos  
 compellit, pœna gladii puniendum esse, vid. Ordin. Polit. Mag-  
 deb. cap. 73, §. 1.

§. XIV. De cætero cum vix mutuū alicujus mo- *Exceptioni*  
 menti contrahatur hodie, super quo non conficiatur scripta *N. N. P.*  
 obligatio, in hac autem mox in fronte apparere solet renun- *frustra re-*  
 ciatio exceptionis non numeratæ & non in rem versæ pecu- *nunciatur.*  
 niæ, de posteriori autem in sequentibus agendum sit, de priori  
 pauca quædam adhuc monenda; scilicet aequè otiosam utriusq; ex-  
 ceptionis renunciationem esse, dum enim hoc scribitur, pecu-  
 nia numeranda adhuc expectatur, & sic dicere non possum, il-  
 lam jam numeratam esse; & hinc renunciationem vanam esse,  
 si in eodem mutui instrumento fiat, agnoscunt Dd. Molina *de Nisi in alio*  
*J. & J. Tr. 2. Disp. 302. n. 2. Card. Mant. de Tacit. & Amb. instrumen-*  
*to.*  
*Convo. lib. 18. Tit. 6. n. 18.* quapropter omnino utile est, ut in se-  
 parata quadam scheda, vel ex intervallo confessio de acce-  
 pta pecunia reiteretur, de quo pluribus egit Dn. Præses *de*  
*Caut. Contract. Sect. 2. Cap. 7. n. 9. seqq.*

§. XV. Cum autem expediti juris sit, hanc exceptio- *Nec admit-*  
 nem non numeratæ pecuniæ ita privilegiatam esse, ut e apso *itur dela-*  
 biennio amplius opponi nequeat, nec juramentum Credito- *ti juramen-*  
 ri super non numerata pecunia deferri possit. *L. 14 pr. & §. 3.*  
*C. de non num. pec.* cum frustra illi deferatur juramentum,  
 qui certam pro se probationem crediti ex chirographo & la-  
 psu biennii habet; in foro acriter disputatur, an non post bien- *Exceptio do-*  
 nium *li post bien-*  
 nium *nium obis-*  
 ner.

An super  
hac deferrri  
possit iura-  
mentum?

nium audiendus sit debitor, opponendo generalem doli exceptionem, utpote quæ sua natura perpetua est, *L. 5. §. fin. ff. de dot. mal. Except.* & probationem in se suscipiendo, pecuniam non esse numeratam? Affirmativa recepta est, teste Sichardo ad *L. 14. pr. n. 6. C. d. t.* Carpz. *P. 1. C. 32. D. 66.* Lauterb. ad *Tit. ff. de R. C. 16. 81.* Verum hoc communiter omittunt Dd. annon super hac exceptione doli deferrri possit iuramentum, quod scilicet hanc pecuniam repetat, quam nunquam numeravit? Negativa probabilis est ex alleg. *L. 14. §. 3. C. d. t.* ubi iuramenti delatio simpliciter removeretur, hinc fraus legi fieret, si quod una via prohibitum, alia via per objectionem exceptionis doli admitteretur. Verum cum in confesso apud Dd. sit, hanc exceptionem doli & quæ in hac latitat, non numerata pecuniæ, haut quidem impedire executionem instrumenti obligatorii, reconvensionem tamen eapropter locum esse, Carpz. *P. 1. C. 33. D. 66.* non video, quare hæc reconvensio non possit conscientiæ adversarii committi: **daß ihm die Wiederlage in sein Gewissen / Wissenschaft und Wohlbewußt geschoben werde.** ubi enim actio & probatio adhuc salva, ibi & iuramenti delatio, utpote favorabilis, non deneganda. Nec obest textus *in l. 14. §. 3. C. de N. N. P.* nam illa lex restringenda ad casum, si quis mediante iuramenti delatione se à parata executione instrumenti obligatorii liberare velit: Aliud ergo si solvat, & postea reconvensionem instituat; & hanc sententiam ex æquitate juris. Canonici admittendam censet Menoch. *Conf. 47. n. 9.* de quo quidem dubitat Dn. Brunneus. ad *d. l. 14. §. 3. n. 13.* quia tamen ipse admittit, quod positiones sub iuramento. dandorum & respondendorum offerri possint, non video, quare non & litis decisorium; ista enim iuramenta in factis propriis omnino fiunt iuramenta veritatis, & ita naturam iuramenti calumniæ, quod tantum de credulitate est, amittunt.

CAP. II.

CAPUT II.

De

Versione probanda ob minorennitatem.

§. I.



um in mutuo transferatur dominium L. 2. §. 2. & 3. ff. d. R. C. quod vel ex hoc solo patet, quia rerum quæ in mutuum veniunt usus consistit in abusu L. 5. ff. d. usufr. ear. rer. qua usu consum. nemo autem præter dominum rem consumere possit vid. §. 2. J. d. usufr. exinde colligo, quod & periculum rei mutuo datæ debitoris sit, & creditoris nihil interfit, bene aut male res consumatur. Hinc pro abundantanti cautela reputatur, quando in instrumento mutui exprimitur, quod res mutuo data in utilitatem debitoris conversa sit, prout colligitur ex L. 4. pr. & L. rogasti u. pr. ff. d. R. C. Fachianus lib. 2. controv. 76. circa fin. Nimis enim durum esset, Creditorem ad hoc adstringere, ut negotium domini gerat, quod sane futurum esset, si necesse haberet probare pecuniam mutuum utiliter esse impensam, sunt verba L. f. pr. ff. d. exerc. act. confer. L. 1. §. 4. ff. cod. Neutiquam ergo curiosus esse debet creditor, quam in rem debitor pecuniam sit versurus. Gothofr. ad L. 19. ff. de novat. lit. b. cum juxta L. 13. C. si cert. per. Manz. dec. Palat. q. 11. n. 24. consideretur potius, quid contrahentes inter se egerint, quam quid debitor cum tertio. Oldendorp. class. 4. act. 17. n. 4.

*Mutuum de bisor libere consumit.*

*Expresso versionis in obligatione abundans est.*

§. II.

Cæterum quamvis hæc omnia regulariter se dicto modo habeant, dantur tamen nonnullæ hujus rei exceptiones, ubi præter numerationem ipsam etiam versionem in rem probare Creditor tenetur, ut si contractum fuerit I. Cum pupillo L. 3. C. quando ex facto int. Contrahit autem pupillus (intellige infantia major, infans enim cum nullum dicatur habere consensum §. 9. J. d. inutil. stipul. L. quavis 32. §. 2. ff. d. A. A. P. ne quidem tutore auctore con-

*Versio probanda est in Contrahitu cum pupillo*

C 3

trahe-



trahere valet d. §. 9. L. 1. §. 2. ff. d. admin. & peric. tut.) vel ipse solus, vel tutore auctore. Priori casu jus Civ. omnem efficaciam huic contractui ademit, quatenus scilicet ipse exinde deberet obligari L. quod pupillus 4. ff. d. condict. indeb. L. pupillus 59. ff. d. O. & A. quanquam alium sine tutoris auctoritate contrahendo valide sibi obliget pr. F. d. auctor. tut. Franchis Decif. 35. n. 4. Contractus itaque cum pupillo initus tam diu erit nullus, usque dum creditor versionem in rem, sive hunc exinde factum esse locupletiozem, probaverit L. pupillis 5. §. 1. ff. d. auctor. tut. L. naturaliter 13. ff. d. condict. indeb. hoc enim casu cum æquitati naturali consentaneum sit, neminem cum alterius damno fieri locupletiozem L. jure natura 206. ff. d. R. F. L. 14. ff. d. condict. indeb. pupillus non secus atque alius firmiter obligabitur, etiam si Tutoris auctoritas non accesserit. Posteriori casu omnia agere potest, æque ac major L. in negotiis 5. ff. d. R. F. ita tamen, ut si forte læsus ex tali contractu reperiatur, semper ipsi maneat salva aut actio tutelæ adversus tutorem, aut restitutio in integrum L. properandum 13. §. ult. C. de judic. L. 2. §. 3. C. si tut. vel curat. interven. quatenus hæc nimirum pinguius remedium est illa, Sfort. Oddus tr. d. restit. in integr. p. 1. qu. 2. art. 7.

**Etiamsi auctoritate tutoris mutuum accipium.**

§. III. Ex hoc apparet, etiamsi auctoritas tutoris ad contractus pupillares accesserit, nihilominus creditori de versione probanda, laborandum esse. Cum enim, si pecunia male consumatur, pupillo liberum sit, vel restitutionem petere, vel contra tutorem regressum instituere, per d. l. 2. C. si advers. tutor. hinc si restitutionem obtinuerit, ipse liberatus erit à conditione creditoris, & quamvis huic consuli possit, si cessionem actionis contra tutorem à pupillo impetret, inanis tamen illa erit, si tutor non solvendo existierit. Quapropter non securus erit creditor pecuniam auctoritate tutoris eredens, nisi versionem docere possit, quæ si ipsi probanda veniat, caute exigere potest, ut is qui tutor fuit, adciterur, quo actori



actori assistat, producendo suas rationes, per quas versio doceri possit. Hartm. Pistor. *Part. 1. Quest. 37. n. 42.* Unde in casu obviente in summo Appellationis judicio Dresdensi pronunciatum refert Carpzov. *lib. 5. Resp. 78. n. 22.* **Es send die Creditores vor allen Dingen die versionem in utilitatem pupillorum zu erweisen/ und ihnen hierinnen die Tutores assistenz zu leisten schuldig.** Quæ necessitas assistendi sine dubio ex eo resultat, quod pecuniæ male versæ periculum tandem in tutores redundet.

§. IV. Eadem ratio obtinet, si contractum fuerit cum minore *L. 1. § 2. C. si advers. credit.* Minor autem vel curatorem habet, vel non. Si curatorem habet, contrahit vel sine ejus consensu, vel cum ejus consensu. Priori casu eadem jura obtinent, quæ modo de pupillo recensuimus, nam privilegia pleraque concessa pupillis, intelliguntur etiam concessa adolescentibus, & lex loquens de pupillo verificatur quoque in adulto *L. 2. C. de curat. fur.* & ibi Bald, Salicet. Alber. vid. Joh. Franc. Andreol. *Controv. 235. n. 3.* adeo ut creditor agens ex mutuo minori dato, non minus teneatur probare versam esse pecuniam in utilitatem minoris *cit. L. 1. § 2. C. si advers. Credit.* Posteriori casu quando minor cum curatoris consensu mutuum contrahit, vel plane curatorem non habet, contractus quidem tenet, læsus autem nihilominus intra justum tempus restituitur *L. Minoribus 2. C. si tut. vel. cur. interv. L. si curatorem 3. C. d. restit. in integr.* Gomel. *var. resol. Tom. 2. c. 13. in pr.*

*De mutuo  
minori da-  
to.*

§. V. An vero hoc in casu Creditor itidem rem mutuo datam in minoris utilitatem versam esse probare debeat, an vero prius minor læsionem docere teneatur, difficultate non caret? Inveni circa hujus quæstionis enodationem quadruplicem DD. opinionem. Quidam hoc in casu Creditori onus probandi indistincte imponunt, ita ut versione non probata minorem sine alia læsionis probatione restituendum esse existiment,

*An minori  
læso docen-  
da?*

ment, atque hanc sententiam defendunt Trentacing. tit. de minor. resol. 6. n. 5. Pinellus ad L. 2. C. d. rescind. vendit. p. 2. c. ult. n. 32. seqq. Bachov. ad Treutl. Disp. n. th. 45. lit. A. fundantes se in verbis LL. tit. C. si advers. Credit. generaliter conceptis. E contrario quidam probationem læsionis hoc casu minori restitutionem petenti incumbere adstruunt, quos inter est Harm. Pistor. L. 1. quest. 38. Carpzov. p. 2. const. 11. def. 44. quibus etiam adstipulari videtur Francisc. Niger Cyriac. p. 3. controu. 713. n. 2. seqq. atque illi pro fundamento allegant L. nam postea 9. §. Si minor 4. ff. d. jurejur. L. minoribus 5. C. d. in integr. rest. tanquam textus naturæ restitutionis maxime convenientes. Tertia classis est eorum, qui distinguunt inter Creditorem fœneratorem & creditorem si ne fœnore: illum adstrictum esse volunt ad probationem, hunc vero non, & hinc minorem in integrum non restitui, nisi læsionem prius probaverit. Hanc sententiam post multos à se citatos tuetur Oddus d. restit. in integr. p. 2. quest. 51. art. 5. n. 27. ubi tamen iterum subdistinguit, & Brunnem. ad L. 1. §. 2. C. si advers. credit. n. 6. eandemque communem esse & à Dd. plerumque observari tradit Gomef. var. resol. t. 2. consil. 51. n. 33. atque hi nituntur partim communi restitutionis in integrum indole, partim odio fœneratorum & propterea specialitate juris introducti per d. L. 1. §. 2. C. si advers. credit. Singularis denique est opinio Molinæ in tr. d. usur. quest. 37. n. 280. statuentis: Creditorem etiam fœneratorem non teneri probare versionem, quatenus sortem repetit, omnino vero teneri, si præter sortem etiam usuras exigat; rationes ejus vid. ibid. conf. Harm. Pistor. d. l. qui hac in parte prolixior est, & fusius hic adducta deducit.

§. VI. Nos in tanta opinionum diversitate tertiam tanquam mediam & communem amplectimur. Cum enim prima nimium abeat à natura restitutionis, quippe quæ non conce-

*Sententia  
vena propo-  
nitur;*

conceditur, nisi prius probata fuerit læsio *d. l. 9. §. 4. ff. d. iurej.*  
 Secunda vero specialitati juris in *L. 1. §. 2. C. si advers. credit.* re-  
 pugnet, merito in tertia subsistimus, cum de pecunia fœnori  
 data in specie agat *d. L. 2. C. si advers. cred.* spreta etiam quarta  
 tanquam singulari, nec firmo satis nixa fundamento, cum pe-  
 cuniam fœnori expositam, cum fœnore reposcere, nihil illiciti  
 iure nostro contineat.

§. VII. Interesse tamen puto, an minori curatore de-  
 stituto credita sit pecunia, an curatorem habenti. Priori ca-  
 su obtinet illud, quod in §. præced. dictum. an scil. mutuum sit  
 fœneratitium, annon? Posteriori autem casu, si consensu Cura-  
 toris mutuum acceperit minor, & pecunia male versa sit, ipsi  
 minori læsio ostendenda erit, si restitutionem petere velit,  
 cum hic creditori nihil imputari possit, qui curatori fidem  
 habuit, ipsam bene versuram esse creditum. Nec hoc casu  
 interesse puto, an fœnori data sit pecunia, an simpliciter cre-  
 dita, nam curatori incumbere, etiam pecuniam fœnori acce-  
 ptam probe impendere. Et ita bene se habent textus in *tit.*  
*Cod. si advers. Credit.* uterque enim agit de minore solo, nulla  
 mentione curatoris facta. Et hisce non resistunt, quæ §. 4. *Diversitas*  
 de pupillo diximus: Hujus enim hoc passu diversa ratio à mi-  
 nore est. Pupillus ad contrahendum plane in habilis est; Mi-  
 nor autem valide contrahit, sed salva si læsus sit restitutione.  
 Pupilli persona integranda est auctoritate tutoris: Minor vero,  
 si curatorem habeat, ejus consensu opus habet, non propter  
 personam, sed propter bona, quorum administratio Curatori  
 commissa. Ergo pupillo facilius succurritur, ut indistincte  
 contra hunc probanda sit versio: secus quam minori, cui tunc  
 læsio probanda, nisi fœnus intenderit creditor. In eo tamen  
 jura minoris cum pupillo conveniunt, quod & minor electio-  
 nem habeat, an restitutionem petere, an Curatorem conve-  
 nire velit per *tit. Cod. si. tut. vel curat.* ut hinc & hoc casu cessio-

*Distingui-  
 tur, an mi-  
 nor solus, an  
 cum Curato-  
 re accipiat  
 mutuum.*

*Diversitas  
 inter pupil-  
 lum & mi-  
 norem.*

D nem

nem actionis contra Curatorem desiderare possit creditor restituito minore.

*De aliis personis a se-  
ctu quodam laboranti-  
bus.*

§. VIII. Eadem ratio est in aliis personis, quæ non quidem atatis sed intellectus deliquium patiuntur, cum enim & hi curatoribus regendi sint, pecunia his credita sine exceptione repeti nequit, nisi versio probata fuerit. Et hæc res expedita est in furiosis & mente captis, nisi dilucidi intervalli tempore pecuniam acceperint *L. 6. C. de curat. furios.* In surdis & mutis attendendum est, an solis sensibus, externis, destituantur, an vero simul intellectus deliquium concurrat; Priori casu sustinetur mutuam etiam versione non probata, secus casu posteriori. Ratio prioris est, quia mutus & surdus omnes contractus celebrare potest, ubi verba præcise non exiguntur *L. in quibuscunque 48. ff. d. O. & A. Montan. d. tutel. cap. 9. n. 44. Michalor. de surd. & mut. cap. 37. n. 2.* imo si donare potest, *L. 33. §. mutus ff. d. donat.* cur non etiam pecuniam creditam libere impendere possit. Quoad prodigos, non quidem naturale, sed civile impedimentum adest, dum enim ipse furiosum rerum suarum facit exitum, *L. 12. §. ff. d. curat.* Hinc ipsi secure credi pecunia nequit, postquam ipsi bonis interdictum est *L. 1. ff. de curat. furios.* Ergo tali casu itidem de versione laborandum.

*An si fœmina sine Curatore creditum, probanda sit versio?*

§. IX. De fœminis adhuc videndum, an in illis locis, ubi curatore opus habent, ipsis secure credi possit pecunia sine consideratione versionis. Carpzov. quidem *p. 2. const. 15. def. 14.* usu provinciarum Saxon. receptum esse tradit, quod mulier accipiens mutuo pecuniam curatore etiam non interveniente efficaciter obligetur, ob rationem, quia in contractu mutuarissime læditur mulier, convertendo scilicet, pecuniam mutuo acceptam in usus suos. Deinde ait, si hoc in casu mulieribus daretur restitutio, futurum esset, ut pauci aut potius nulli omnino reperirentur, qui quid cum illis commercii habere vellent, nisi curator præsens adestet, qui tamen semper haberi non

ri non potest, & consequenter in odium retorqueretur, quod in favorem earum constitutum est contra *L. quod favore* *6. C. d. LL.* Tandem & rationem naturalem illud suadere dicitur, ut jure desili. ueremur juxta Paul. in *L. in summa 2. §. item Varus 5. in ff. d. aqu. & aqu. plu. arc.* quæ ultima ratio forte optima est; An enim ex prima à raritate læsionis desumpta formari possit regula totus dubito, namq; experientia satis testatur, fœminas sæpius luxui indulgere, & hinc pecuniam pessime consumere. Altera Carpozovii ratio si procederet, sane nec in pupillis, minoribus & aliis personis versio probanda esset, quia nec his curatores semper ad manus sunt; nec dici potest, hoc casu jura alias ipsis faventia retorqueri in illarum odium, sub hac prohibitione enim præter privatum latet etiam interesse publicum, nec ex imbecillitate animi defraudentur, & per consequens indotatæ reddantur. Fœminæ itaque, in illis locis ubi curatore opus habet ad contrahendum, sine eo tuto pecuniam credi non posse existimarem, nisi creditor simul de versione sollicitus sit Vid. Georg. Schulz. in *tr. d. oblat. ob sign. ac de pos. pecun. seu rei deb. cap. 2. §. 15.* Wibel *tr. d. contract. mul. cap. 3. §. 1. n. 4.* ubi tamen uxores Principum, quæ consiliariis stipatæ sunt, & mercatrices excipit. De cætero si curatorem adhibuerit fœmina, non amplius interest creditoris, quomodo impendatur pecunia, cum contractus secundum statuta legitime celebratus, nec idem favor sexus quam ætatis.

§. X. Quid autem, si super pecunia credita minor vel mulier literas cambiales dederit, nullo curatore adhibito, an tunc si ex cambio agatur locus erit exceptioni pecuniæ male versæ? Distinguendum hic an dictæ personæ mercaturam exercent, vel non; Priori casu ex cambio simpliciter obligantur, etiamsi fœmina nec mariti nec curatoris consensum adhibeat, sicut & minori beneficium restitutionis tali casu denegatur, uti perspicue dispositum est in *Ordin. Camb. Lips. §. 2.*

D 2

quam

*Quid si fœmina vel minor ex cambio conveniantur?*

quam refert Dn. Præfes d. *Caut. contr. sect. 3. cap. 5. §. 25.* Idem obtinet jure Cambiali Prutenico art. 35. extra illum vero casum videlicet Ordinationis, Curatoris consensu in Cambiis opus haberent: Quamvis novo quodam rescripto Saxonico nexus ille cambialis postea extensus sit ad omnes fœminas indistincte, sive nobiles sive ignobiles, sive mercatrices sint.

*De corporibus quæ jure minorum gaudent.*

*Credens Civitatis probare debet versionem.*

§. XI. Jam transeundum est ad personas morales jure minorennium gaudentes, quarum nomine veniunt Civitates, Ecclesiæ & Collegia omnia, quæ ad instar minorum alieno auxilio reguntur, & hinc suos curatores vel administratores habent; Ne ergo ex horum facto illis præjudicium contingat, cautus omnino creditor esse debet, ut pecunia credita bene vertatur. Qua propter tenetur Creditor probare versionem, quando contraxit cum Civitate *L. civitas 27. ff. d. reb. credit.* Civitates enim omnium Jctorum calculo pupillorum jure fruuntur, hincque in perpetua quasi tutela esse dicuntur *L. Rempublicam 3. C. d. jure Reipubl.* Et ibi Dd. Everhard. à Middelb. in *Top. legal. p. 344.* Cantiunc. *simili tract. spec. 18.* Brunor à Sole in *Loc. Commun. verb. respublica. 1.* imò majorem adhuc rationem hic concurrere in Civitate quam in pupillo dicit Barbof. *thesaur. jur. l. 5. c. 26. axiom. 5.* quia pupillus & suo & alieno, Respubl. vero solum alieno regatur judicio; Pariter & jure minorum uti dicitur Respubl. & hinc restitutione gaudet, *L. Respublica 4. C. ex quib. caus. major.* Sfort. Oddus *d. restit. in integr. quest. 3. n. 58.* Sub Civitatis autem nomine hic veniunt omnes universitates & collegia licita, quæ per alios reguntur *Rel. à Valle vol. 1. conf. 90. n. 25.* Valida enim est argumentatio à Civitatibus ad collegia a Principe approbata *arg. L. 1. §. 1. ff. quod cujusc. Univers. nom.* ibique Gothofr. *lit. Z.* confer. Glossa & DD. ad *d. l. Civitas.* nec inusitatum est, quod dum LL. de juribus & rebus collegiorum promiscue loquantur, Civitatis tantum exemplificative faciant mentionem vid. *L. Bona Civitatis 15. C. l. 17.*

L. 17. ff. d. U. S. Goeddeus tr. d. mutuo & reb. credit. c. 2. concl.  
10. n. 244. Sfort. Odd. de Restit. 2. 3. n. 66. seqq.

§. XII. Quando autem dixi, creditorem hic teneri probare versionem, intelligendum hoc est de casu, ubi cum Administratoribus intuitu civitatis contraxit, nam cum Civitate ipsa contrahens, firmiter eam obligat, versione etiam non probata, arg. Cap. pen. de fidejussor, Gratian. Discept. for. tit. 1. cap. 196. n. 19. seqq. Mantica de tacit. & ambig. convent. l. 8. tit. 13. n. 6. Carpov. l. 2. tit. 10. Resp. 106. n. 1. & 2. & in Asyl. debit. cap. 2. n. 229. Dicitur vero Civitas ipsa contraxisse (1) quando omnes cives vocati ad certum eumq; publicum & consuetum locum Bruning. tr. de var. univers. spec. th. 44. Cresp. de Valdaura Ob- serv. 63. n. 21. consentiunt, ita enim civitatem contrahere posse docet Losæus d. jur. univers. p. 3. c. 2. & hic modus contrahendi in statu democratico maxime observatur. Rauchbar p. 2. quæst. 1. n. n. Hartm. Pistor. lib. 1. qu. 37. n. 5.

Niscum in-  
tagne civi-  
tate contrahat.

Quando  
hoc contin-  
gat.

§. XIII. In eo tamen nihil interest, utrum Cives ante contractum consensum suum declaraverint, an vero contractum ab Administratoribus celebratum ratificaverint, idque vel expressè vel tacite Cavalcan. p. 1. Decis. 46. n. 88. 89. ut puta si pecuniam mutuam receperint, & per aliquot annos usuras ex Civitatis arario solverint, Mev. ad Jus Lubec. l. 1. tit. 1. in Ad- dit. eo ipso enim contractum ratificat, ratificatio autem pro consensu est, & omnes defectus supplet l. 12 §. ff. d. solut. L. f. pr. C. ad Scutum Maced. Vantius de nullitat. tit. ult. n. 104. seqq. Klock. vot. Camer. Relat. 33. n. 5. Tacite autem consensisse dici non potest, si mutuum in præsentia totius civitatis contractum fuerit. Sola enim patientia vel taciturnitas in causis onerosi consensum inducere non valet Dn. Præses in Cautel. Contr. Sect. 2. c. 1. §. 6. sed præter eam actus aliquis positivus, ex quo consensus elici possit, necessarius est. Conf. Decis. Rotæ Genæ de Mercatur. Dec. 14. n. 75.

Sufficiens  
ratificatio civi-  
um.

D 3

§. XIV.

De repræ-  
sentationibus  
Civitatum.

§. XIV. (2) Ipsa Civitas videtur contraxisse, quando illi qui totam Civitatem repræsentant, contraxerunt. Cum autem difficile imo impossibile esset, singulos cives in tanta plerumque multitudine omnibus & singulis congregationibus, quæ pro Reipublicæ necessitate suscipiuntur, interesse Coler. *de process. execut. p. 2. cap. 3. n. 378.* necessitas ipsa curam Reipublicæ ad senatum, per quem Civitas repræsentaretur, deduxit *L. 2. §. 9. ff. d. O. J. Bruning. d. tr. th. 4. seq.* atque hic modus in forma Aristocratica plerumque adhibetur. Probe vero notandum, quod Optimatum horum potestas non ubiq; eadem, sed alibi magis, alibi minus restricta sit. Quamvis enim Ziegler. *in commun. concl. ad aur. prax. Calv. §. Civitas concl. n. 71.* scribat, quod omne jus Civitatis generali consuetudine in Consules & Senatum à populo sit translatum, & in specie ita moris esse in Germania dicit Zasius *ad d. l. Civitas n. u.* ubi si Burgimastri & Consilarii contrahunt, & inscribunt in cautiones, versam esse pecuniam in utilitatem Civitatis, habendum esse, ac si ipsa Civitas contraxisset, cui sententiæ etiam subscribere videtur Meichsner. *in Decis. Camer. t. 4. Dec. 22. n. 116.* Contradicentes tamen habent Hartm. Pistor, *d. l. n. 5.* Coler *d. c. 3. n. 350.* Richter *dec. 71. n. 2.* Carpzov. *p. 2. const. 6. def. 18. n. 6. seq.* qui de provinciis Saxonis contrarium testantur, atque hoc in plerisque locis, illis præsertim obtinet, ubi Consulium & Senatorum Jurisdictio & administratio temporalis est, aliis subinde in eorum locum succedentibus, hi enim in rebus arduis & ubi de obliganda civitate res est, omnes Cives non repræsentant, sed potius decurionibus æquiparantur. Henning. *Goden d. jur. civit. consil. 34. n. 10.* Rauchbar. *p. 2. quest. 1. n. 9.*

De Civitibus  
Imperialibus.

§. XV. Quid vero de Civitatibus Imperialibus dicendum, annon ibi Consules & Senatus totam Civitatem repræsentant? Et hoc quidem certum est, magna in ejusmodi civitatibus Senatum pollere auctoritate, ita ut votatum aliquando in



n Camera referat Gylmann *Symphor. tom. 1. part. 1. tit. 2. vol. 1. n. 12. fol. 68.* in civitatibus Imperialibus populum omnem potestatem in Senatum transtulisse; huncque in locum Principis electum esse, vid. Autor. consil. Fridbergenf. p. 1. punct. 2. n. 109. & hoc de generali consuetudine constare dicit, ut adeo secure creditor cum senatu tali, tanquam totam civitatem representante, contrahere posse videatur. confer Mindan. *de process. lib. 1. c. 21. §. 1. n. 4.* Meichsner. *in Decis. Camer. tom. 2. lib. 2. dec. 4. n. 184. p. m. penult.* An tamen hoc universale sit, & annon nonnullæ civitates Imperiales jura quædam & causas maxime arduas sibi reservaverint, merito dubitamus. Hujus enim res, dua potestatis exempla adhuc in civitatibus democraticis, & in quibus Tribuni sive tribus adhuc in vigore sunt, in specie Rotviliæ & Reutlingæ occurrere, testis est Knippschild. *de jurib. & privil. Civit. Imper. lib. 5. Cap. 1. n. 11. in f.* Cæterum de dignitate & autoritate Senatus in Civitatibus Imperialibus ita eleganter scribit Lehmann. *Chron. Spir. lib. 4. c. 13. fol. 274. edit. de Ao 1698. in fol. von Würdigkeit eines Raths in Reichs-Städte* schreiben die Gelehrten des Inhalts: Wie den Menschen die Vernunft regieret / den Leib die lebendige Seele / die Sonn den Himmel / ein Schiff der Steurmann; Also sey ein Rath der Stadt Verstand / Leben / Viecht und Anker des Friedens. Und wie der Leib ohne lebendige Seele todt und erstorben: Also könne ohne einen Rath die Stadt nicht bestehen. In einer jeden Reichs-Stadt ist der Rath gleich einen Fürsten / oder Grafen des Reichs in seinem Land / wird auch von der Bürgerschaft an statt eines Fürsten gewehlet und gesetzt; und gleichwie andere Unterthanen ihren Landes Fürsten / Grafen und Herrn / zu Treu / Huld und Gehorsam vermittelst leiblichen Eydes verbunden; also auch die Bürgerschaft in Reichs-Städten ihrer Obrigkeit dem Rath.

*Statu Civitatis probe inquirendus.*

§. XVI. Per quam caute ergo hic procedendum & affidue inquirendum, an certis administratoribus & civibus ararii libera administratio & plena potestas pecuniam mutuam accipiendi concessa sit, placitoque Civitatis approbatum, quod ab iisdem gesta à populo rata haberi debeant. Lindeman *tr. de mutuo cap. 1. n. 21.* Lauterbach. *in Comment. ad d. l. Civitas Vol. 2. Dissp. Tubing. Dissp. 13. §. 10. inf.* Sæpius enim utur potissima gubernationis pars, consilia nempe & judicia penes senatum existant, graviora tamen negotia, præsertim statum publicum aut singulorum marsupium attingentia, vel in aliquod insigne opus vergentia, non nisi adscitis populi suffragiis valide expediri possunt *arg. L. f. C. d. autor. præst. Goden d. conf. 34. pr.* Cujuscunque itaque loci statuta & consuetudines respiciendas esse suadet Hartm. *Pist. lib. 1. qu. 37. n. 5.* Sane si creditor prehenderit, contracturos repræsentare civitatem, securus est, tunc enim singuli fecisse videntur, quod repræsentantes Civitatem fecerunt. Köppen. *dec. 60. n. 25.* Mev. *p. 3. dec. 229.* nec illi civitati præjudicare voluisse præsumuntur; quod si interdum fallat, sibi id imputet civitas. *arg. L. 1. §. 9. ff. d. exerc. act. Bruning. d. tr. th. 77. lit. b. Dn. Præses in Cautel. contr. Sect. 2. c. 1. §. 5.*

*De mutuo per Syndicum accepto*

§. XV. (3) Ipsa dicitur contraxisse Civitas, si omnes Cives Syndicum vel actorem speciali mandato ad mutuum accipiendum constituent Strauv. *in Synt. Jur. Civ. Exerc. 16. th. 18.* Köppen *decif. 60. n. n.* atque adeo nec hic creditor versionem probare tenebitur, licet in mandato certa causa expressa fuerit, in quam pecunia mutuo sumenda esset, nec consistet in eam impensam esse. Zasius *ad d. l. Civitas Bruning. de. tr. th. 76. lit. b. Mant. d. tac. & amb. convent. l. 8. tit. 13. m. 9.* Heft. *Copyc. Specialiter tamen ut ad hoc negotium constitutus sit Syndicus requiritur, generalis enim Syndicus, quem Consules & Senatores absque inrerventu tribunorum plebis constituunt L. 4. §. L. 6.*

*Latro L. 1. Decif. 116. n. ult.*

*L. 6. §. 1. ff. quod cuius. univers. nom.* contractus nomine civitatis celebrare, eamque obligare non potest. *Gædd. tr. de mutuo & reb. cred. c. 2. n. 240.* Et hactenus de casu, ubi ipsa Civitas contraxit, & creditor à probatione versionis immunis est.

§. XIIX. Sequitur nunc alter casus, ubi creditor necessario versionem docere tenetur, quod uti §. 12. b. c. diximus sit, quando cum administratoribus contraxit. Per administratores intelligo eos, quibus aliqua quidem cura Civitatis mandata est, totam tamen Civitatem non representant, quales sunt Quæstores, Thesaurarii &c. *Zasius ad d. l. Civitas n. 7.* Ex horum enim contractu agenti exceptio non factæ versionis objicitur, quæ exceptio adeo privilegiata est, ut etiam instrumento guaranteegiato in ipsa executione recte opponatur. *Carpzov. L. 2. tit. 10. Resp. 106. n. 33. Burger. in Obs. Jurid. Pol. M. l. Cent. 4. Obs. 82. p. m. 345. in f.* ipsis tamen administratoribus concedenda ea non est, illi enim propriam turpitudinem allegarent, ex qua nemo commodum sentire debet. *Carpz. p. 2. const. 6. def. 23.*

§. XIX. Annon vero huic exceptioni in instrumento renunciari poterit? Negatur; sicuti enim renunciatio non nocet tertio, in cuius præjudicium facta est, *Dalner. de renunciat. c. 1. n. 55. Stuck. p. 1. corf. 13. n. 59.* ita nec hæc renunciatio administratorum Creditorem à probatione liberabit. *Carpz. d. Resp. 106. n. 35. Conf. Philipp. ad Decif. Elect. 16. Obs. serv. 5.* si scilicet Civitas conventa hanc opponat. De eo enim nullum superest dubium, ipsum Administratorem, cui credita est pecunia, hanc exceptionem opponere non posse, utut revera male versa sit. Illud itaque tenendum est; quod si forte Administratores in instrumento confessi sint, pecuniam mutuatam in rem versam esse, eo ipso creditorem ab onere probandi non relevari. *Mascard. de probat. vol. 3. concl. 107. n. 3.* Sicuti nec sufficit, si in instrumento obligationis dicatur, consensu populi inicum esse contractum. *Menoch. de presumpt. L. 3. pres.*

*De mutuo  
administratoribus da-  
to.*

*Quid si ad-  
ministrato-  
res exceptio-  
ni versio-  
nis renuncii-  
averint?*

132. n. 28. seq. Consensus enim populi tanquam extrinseca solennitas tali casu non præsimitur, sed eam accessisse probandum est *arg. L. quacunq. 1. §. ff. de public. in rem act.* ibique DD. Petr. Heigius *l. 1. quest. 34. n. 21. seqq.*

*Quid hic operetur sigillum publicum?*

§. XX. Quid vero, si tale instrumentum insuper sigillo publico munitum fuerit? Hoc casu consensum totius populi præsumi vult Coler *d. l. n. 364.* Sed cum ira fenestra aperitur malitiæ & fraudibus administratorum, qui facillimo negotio, ut accipiant pecuniam, sigillo communi abuti possunt. Carpzov. *l. 2. tit. 10. Resp. 106. n. 9.* contrarium verius putamus: De reliquis quæstionibus circa hanc materiam obvenientibus vid. Lauterb. *in d. comment. ad L. Civitas. & B. Brunnem. in Disp. ad eand. de Anno 1650.* Unicum adhuc addo, quod scilicet nec adductis casibus, ubi cum ipsa Civitate contractum est, Creditor penitus securus, arque a versionis probatione immunis sit, si enim Civitas se offerret ad probandum, mutuum utiliter non esse impensum, & ob hanc rationem peteret beneficium restitutionis in integr. *ex L. 3. C. d. jure Reipubl. quod facere posse concedit Sfort. Oddus d. restit. in integr. p. 2. q. 51. art. 7. n. 61. Hartm. Pistor. d. l. n. 61. seqq.* Creditor sane teneretur contrarium, nimirum versionem probare, nisi Civitas jurato restitutioni in integr. renunciasset *arg. avth. Sacramenta puberum C. Si advers. vendit.* ut adeo contractus cum Civitate integra gestus tantum inducat versionis præsumptionem, quo ab onere probandi liberetur creditor, sed non excludit exceptionem malæ versionis, & inde competentem restitutionem, si hanc docere possit Civitas.

*Versio probanda in mutuo Ecclesie.*

§. XXI. Porro creditor ad versionis probationem obligatus est, si contraxerit cum Ecclesia *avth. Hoc jus porrectum &c. C. d. SS. Eccles. Nov. 120. c. 6. in f. c. quod quibusdam X. d. fidejussor.* privilegia enim concessa pupillis regulariter ceteris omnibus tributa, qui per administratores reguntur, Alex. Sperell. *in Decis.*



*cif. fori Eccles. dec. 130. n. 39. seqq.* & Respublica, Ecclesia & pu-  
 pillus pari passu ambulant, Hæctor Capyc. *Latro Decis. noviss. l. 2.*  
*dec. 105. n. 49.* Cavendum tamen omnibus, juxta DD. monitum à  
 contractu cum Ecclesia tanquam re pestifera & perniciosissima.  
 Wilhelm. Anton. à Freundeberg *d. rescript. morat. concl. 32. n.*  
 14. Vix enim quis ita sibi prospicere potest, quo minus da-  
 mnum incurrat. Non solum vero Ecclesiæ proprie sic dictæ,  
 sed & alia pia loca ut Hospitalia, Xenodochia &c. hoc jure gau-  
 dent. Tiraquell. *de privileg. pie caus. privil. 138.* August. Barbof.  
*ad cap. 1. n. 4. X. d. in integr. restit.*

§. XXII. Accipit autem Ecclesia mutuum vel per Præ-  
 latum & Capitulum simul, vel per Prælatum solum, vel per so-  
 lum alium ad contractus Ecclesiæ deputatum, uti in hac mate-  
 ria distinguit Molin. de *J. & J. Tr. 2. D. 300. n. 2.* Primo casu sub-  
 distinguit, an ad solutionem mutui necesse sit alienare im-  
 mobilia Ecclesiæ, & tunc Prælati & Capituli factum, cum alic-  
 nare ea nequeant sine manifesta Ecclesia utilitate aut necessi-  
 tate, *c. sine exceptione 52. c. 12. q. 2. cap. 1. de reb. Eccles. non alien.*  
*in 6.* creditorem à probatione versionis non liberat, uti *ad b.*  
*Hoc jus porrectum C. d. SS. Eccles.* expendenti apparebit; An  
 vero ad solutionem mutui sufficiant bona Ecclesiæ mobilia aut  
 redditus, & tunc creditor non tenetur probare mutuum fuisse  
 conversum in utilitatem Ecclesiæ, quia Prælato & Capitulo  
 competit earum rerum administratio liberior, *arg. cap. quod*  
*quibusdam 4. X. de fidejussor.* Atque in hoc differt Ecclesia à Ci-  
 vitate, ibi enim hæc distinctio bonorum non obtinet, sed si Se-  
 natus cum populo consensit, atque adeo civitas firmiter obli-  
 gata est, nihil refert, an ad solutionem debiti deinceps neces-  
 se sit alienare bona immobilia an mobilia; quanquam & hic  
 senatus & cives melius faciant, si loco alienationis immobi-  
 lium collectam imponant & solvant, vid. Dn. Præses  
*in Dissert. de alien. rer. & bon. civit. cap. 5. n. 53. seqq.*

*Ascenden-  
 dum, ex qui-  
 bus Ecclesia  
 bona mutu-  
 um restituen-  
 dum sit.*



*Quid si  
Prælati so-  
lus contra  
veris?*

§. XXIII. Secundo casu, ubi Prælati solus, eadem distinctio & decisio obtinet, nimis enim durum foret, si indistincte Ecclesia teneretur ex facto Prælati, cum neque successores promiscue teneantur ex facto Antecessorum, *cap. 1. X. d. solut.* Gratian. *Discept. forens. tom. 5. c. 916.* Hector Capyc. *Latro Decis. 122. n. 7.* modo actor actionem suam contra Ecclesiam vivente adhuc Prælato, qui mutuum accepit intenteraverit; nam post mortem ejus, quia obligare non potuit Ecclesiam in tempus post suam vitam, nisi ex necessitate atque in utilitatem Ecclesie *cap. 1. X. d. solut.* magis est probabile, teneri tunc mutuantem probare, conversum id fuisse in Ecclesie utilitatem. *Beller. disquisit. Cler. p. 1. tit. d. Cleric. debit. §. 3. n. 38.* Secus atque casu priori, ibi enim cum capituli, quod nunquam moritur, *Merlin. dec. Rot. Rom. 583. n. 26.* consensus accesserit, actio semper salva manet. Volunt tamen hoc casu leviores admitti debere probationem, alias enim vix esset, qui cum Ecclesia contraheret, ejusque indigentis subveniret, *Molina de Just. & Jur. Tom. 2. Disp. 300. n. 8.*

*De speciali-  
ter deputa-  
to ad con-  
trahendum.*

§. XXIV. Tertium casum, quando scilicet à solo aliquo ad contrahendum ab Ecclesia deputato mutuum contrahitur, unice securitatem præbere putat *Cœpolla in tr. d. Cautel. caut. 279.* quo Creditor se à probatioe versionis liberare possit. Verum & hic videndum, an ab Ecclesia certa quantitas sit præscripta, quam mutuo posset accipere deputatus, annon. Priori modo, si mandatum non excesserit, Ecclesia obligata est, licet versio non probetur *cap. quod quibusdam X. de fidejussor.* modo tamen Creditori ex bonis Ecclesie mobilibus s. redditibus satisfieri queat, alioquin decisio primi casus & hic obtinebit. Posteriori casu si mandatum egressus fuerit, ulterius Ecclesiam non obligat, quam quatenus versum esse à Creditore probatum fuerit. Decisio hæc sub data distinctione bonorum arridet etiam *Gonzalez. ad Cap. quod quibusdam X. de fidejussor.*

*fidejussor. in Not. Menoch. d. arbitr. jud. quest. cas. 432. n. 7.*  
*Redoan. tr. d. reb. Ecclesi. non alien. qu. 4. § 1. n. 5.* Barbof. *in col-*  
*lect. ad d. cap. n. 9.* qui tamen *n. 17.* sibi ipsi videretur contrarius.  
 Contrariam sententiam defendunt Covarruv. *var. resol. lib. 2.*  
*c. 17. n. 3.* Fachin. *controv. lib. 2. contr. 77.* Pinellus *ad L. 2. C.*  
*d. rescind. vend. p. 2. c. 4. n. 68. in f.* Mascard. *de probat. concl. 1165.*  
*n. 17.* Francisc. Hieron. Rodericus *in compend. quest. regular.*  
*resol. 35. n. 7.*

§. XXV. Tantum de Ecclesia, cujus jura præter anno-  
 tatam differentiam cum juribus Civitatis, quantum ad no-  
 stram materiam fere eadem sunt. Sicuti enim administra-  
 tor Civitatis sua confessione de versione in rem Civitatis fa-  
 cta, eidem non præjudicat; ita nec confessio Prælati Ecclesiæ,  
 quemadmodum enim illi non potuit nocere contrahendo,  
 sic nec confitendo. Rebuff. *in cap. 1. d. reb. Ecclesi. non alien. in 6.*  
 Coel. Bichius *in Decis. 599. n. 6.* quod vel maxime procedit, si  
 mutuum Prælati à consanguineo acceperit, Gratian. *Discept.*  
*for. 94. n. 41. seqq.* Natta *conf. 147. n. 6.* Geminatam tamen  
 confessionem Prælati, præsertim aliis adminiculis fulcitam,  
 magni momenti esse volunt Seraphin. *dec. 292. n. 3.* Bichius  
*d. l. n. 25.* & ita in reliquis.

*Comparatio  
Civitatis &  
Ecclesiæ.*

§. XXVI. In Ecclesiis Evangelicis Clericorum consen-  
 sus in sumendo mutuo non adeo attenditur, sed Patronorum  
 diuntaxat, vel si res magni sit præjudicii, Consistorii auctoritas  
 exigitur. In Canonicatibus tamen necessitas Capituli con-  
 sensum adhibendi remansit. vid. Dn. Præses *in Cautel. Con-*  
*tract. d. l. §. 13.* Et hoc casu obtinebit illa distinctio, quæ supe-  
 rius §. 22. ex Molina proposita fuit.

*Quid in  
Ecclesiis Eva-  
ngelicis.*

§. XXVII. Coronidis loco adhuc tangendum, an hoc  
 speciale sit tantum in mutuo, quod versionem probare debeat  
 pecuniam numerans, an etiam ad alios contractus pertineat;  
 Tamburin. *tr. de Abbat. Tom. III. Disp. 13. qu. 7. in f.* necessita-

*An extra  
casum mu-  
tui proban-  
da sit versio.*



tem hujus probationis ad tres casus extendit, scilicet ad mutuum depositum, & quando Ecclesia vel Civitas vendit & aliena: pro solvendis debitis. Alii hanc singularitatem in mutuo ad nullum alium contractum extendendam esse putant. Mascard. *d. probat. concl. 1166. n. 19.* ob rationem, quia, cum Prælati, & rectores & alii, qui bona Civitatum & Ecclesiarum administrant, faciles esse soleant ad mutuum accipiendum, & fœneratores ad illud dandum, nisi dicto modo his corporibus consultum esset circa mutuum, facile eorum bona consumerentur ac perirent, Molina *d. 7. § 7. Tr. 2. disp. 300. n. 11.* Alii distinguunt inter contractus, qui principaliter illius tantum concernunt utilitatem, qui contrahit cum Ecclesia, Civitate, vel ejus administratoribus, & qui utriusque emolumentum complectuntur; atque in illis versionem probandam esse volunt, in hisce vero non Hartm. Pistor. *l. 1. qu. 37. n. 29.* Heigius *lib. 2. qu. 34. n. 8.* Berlich. *p. 3. dec. 302. n. 9.* & hanc sententiam frequentiori calculo receptam esse dicit Hartm. Pistor. *d. 1.* atque ex hoc fundamento versionem in venditione annuorum reddituum ab emptore probandam esse negant Heigius *d. qu. 34. per tot.* Carpz. *p. 2. Const. 6. def. 20.* Hector. Capyc. Latr. *in Decis. Neapol. lib. 1. dec. 106. n. 14. seq.* qui pro sua corroboranda sententia allegat insuper *L. 1. § ult. ff. d. exerc. act.* & textus illos non solum in casibus ibi expressis, sed etiam in Ecclesia, Majoratibus, universitatibus procedere existimat, per tradita Surd. *dec. 156.* An vero hoc perpetuum sit, dubito: Licet enim in *cap. Gravis illa. 1. X. d. de pos. dispositum sit, quod Ecclesia de deposito non teneatur, nisi doceatur, illud in utilitatem Ecclesie esse versum; loquitur tamen d. cap. expresse de casu, ubi non apud ipsam Ecclesiam, sed apud Clericum depositum est; ibi enim cum inter deponentem & Ecclesiam nihil sit actum, Ecclesia ulterius non tenebitur, quam quatenus in utilitatem ipsius conversum est,*  
Grana-



Granaieto *in Caten. Jur. tit. 16.* aliud itaque dicendum foret, si apud ipsam Ecclesiam aut Capitulum depositum fuisset constitutum.

§. XXVIII. Quid autem, si res minorennium vel illorum, qui jure minorum utuntur, alicui vendantur, an hic emptor sollicitus esse debet de versione? Communiter resp. quod non, nam durius procedunt jura cum mutuante minori, quam cum emptore. Creditor enim sine ulla necessitate minori pecuniam mutuo dat, & plerumque suum intendit lucrum ex sperato fœnore. E contrario emptor ad solvendam pecuniam vi contractus præcedentis obstrictus est, & hinc parcius emptori succurritur per *L. 24. §. 4. ff. d. minor.* vid. Brünnem. *ad d. l. n. 8.* Contrariam sententiam tueri videtur Hartmann. *Pistor. p. 1. q. 38. n. 33. seqq.* Res ita componi potest: aut minor rem suam vendidit sine ulla sui læsione, sed pecuniam acceptam male consumpsit; aut minor in contractu læsus, & insuper pecuniam acceptam male consumpsit: Priori casu emptoris plane non interest, an bene vel male impensa sit pecunia; bona fide enim cum ipso contraxit, & justum pro re vendita pretium solvit. Cum enim citra læsionem minor restitui nequeat contra contractum, ob vulgatam juris rationem, quod cessante læsione cesser restitutio *L. 2. l. 16. C. d. Præd. minor.* ita multo minus restituetur contra pecuniam male consumptam, cum hoc passu non per emptorem, sed suo facto læsus sit. Posteriori autem casu, si in ipso contractu latet læsio, nemo dubitabit, minori ad dissolvendum contractum patere remedium restitutionis. Cum vero restitutio rem utrinque in pristinum statum reducat *L. un. C. d. reputat. que sunt in judic. in integr. rest.* & ita emptor pretium suum sibi restitui desideret, tunc omnino non audietur, si pecunia male consumpta sit. Minor enim in judicio restitutionis non ulterius ad restituendum pretium

*An emens de minore de versione precii sollicitus esse debeat?*

*Distinguitur.*

tium obligatus est, nisi quatenus ex pretio emptionis locupletior est, per clarum textum in *L. 27. §. 1. in ff. de minor. cui correspondet d. l. 1. C. d. reput. & l. penult. §. 1. ff. d. reb. eor. qui sub tut.* Quod & probat Hartm. Pistor. *d. q. 38. n. 40.* Jam vero locupletior non erit, nisi pecunia vel adhuc extet, vel probe versa sit, ut hinc omnino consultum emptori sit, si ullo modo restitutionem contra contractum venditionis praevidere possit, probe sibi prospicere, quo pretium bene vertatur, ne postea re & pretio carere necessum habeat. Quod si plane nulliter à minore res vendita sit, e. g. si pradium sine decreto vendat juxta *l. 1. & 2. C. d. prae. minor.* tunc nihil proderit emptori, minorem læsum non esse, cum ex capite nullitatis contractum rescindens nullam læsionem probare teneatur. Hartm. Pistor. *d. q. 38. n. 34.* Arius Pinell. *ad L. 2. C. d. rescind. vend. p. 2. cap. f. n. 27.* add. Sfort. Oddus *de restit. in integr. qu. 48.* Hinc hoc casu, si sine decreto rem emat, accurate ut pretium bene vertatur, laborandum est. Quæ omnia si à Civitate vel Ecclesia res empta sit, observanda erunt. Mascard. *d. probat. vol. 2. concl. 617. n. 1.*

An in solutione versio sit probanda?

§. XXIX. Non solum autem in contrahenda obligatione & ad fundandam actionem versio probatio est necessaria; sed etiam interdum in ea distrahenda & ad fundandam exceptionem. Ita debitor à nexu obligationis tuto se non liberabit, si sine tutorum Curatorumve consensu pupillo vel minori solverit *l. pupillo 15 ff. d. solut. l. contra 28 pr. ff. de pact. nec exceptionem solutionis prætere de potest, nisi probaverit, pecuniam solutam in rem eorum versam esse, vel adhuc extare, quo casu doli mali exceptione actorem removebit d. l. 28. pr. ff. d. pact. confer. Zanger de except. part. 3. cap. 1. §. 91. seqq.* Quæ ipsa decisio, etiam in foeminis ubi curatore opus habent, locum invenit, cum nec his secure quis solvat. Berl. *p. 2. concl. 17. n. 32.* Georg. Schulz. *in tr. d. oblat. ob sign. ac depos. pecun. cap. 2. §.*

2. § 15. ubi pro cautela adducit, ut debitor solvere volens, faciat illud auctoritate iudicis & decreto interveniente, & hanc sententiam confirmat præjudicio ex Dicasterio Witteberg. d. 21. Febr. 1625. Sicut & hoc quoad pupillum & minorem, si iis pecunia secure solvenda sit, claro jure provisum est, in §. ult. Inst. quib. alien. lic. l. 23. C. de Administr. Tutor.

CAPUT III.

De

Probanda versioe crediti in negotiis alterius.

§. I.



Uc usque pro instituti ratione expositum est, quo pacto illis versio crediti probanda veniat, qui vel cum minoribus ipsis contrahunt, vel cum illis, qui jure minorum utuntur: Aliis enim si credita sit pecunia, regulariter creditoris non interest, bene vel male vertatur. Alphons. de Olea tr. d. cess. & act. tit. 4. quest. 8. num. 32. ;

Connexio.

Quamvis unusquisque hic non tantum quid per LL. Civiles liceat, sed & quid conscientia suæ regularis & amoris Christiano congruum sit, perpendere necessum habeat. Si enim mihi constet, hominem, perfectæ licet ætatis, pecuniam in malos usus impendere velle, non sane Christianus qui esse cupit, subsidia luxuriæ & intemperantiæ ipsi præbere debet; Promoveretur enim ita hominis ad quasvis illecebras proclivis malitia, dum prompte ipsi suppeditantur media, explendi desiderium in temporale plerumque, sæpissime vero in æternum incommodum vergens; qui tamen, si pecunia desiderata denegetur, & sequioris propositi infeliciores eventus ostendatur, ad frugem facile reduci posset. Huc pertinet insignis Ulpiani locus in L. 12. §. u. ff. mandat. cujus hæc verba sunt: Si adolescens luxuriosus mandat tibi, ut pro meretrice si-

An in conscientia securus sit, qui pecuniam perdituro credit?

F

deju-



*Adducuntur  
diverse  
decisiones  
Ulpiani.*

*aejubeas, idque tu sciens mandatum susceperis, non habebis man-  
dati actionem, quia simile est, quasi perdituro pecuniam sciens  
credideris: & postea subjungit idem Ulpianus, idem esse si  
directo mandaverit, ut meretrici pecunia credatur, cum  
adversus bonam fidem mandatum sit. Quæ lex quidem de  
minoribus loquitur, sed merito ad alios extendenda foret, ad mi-  
nimum in foro conscientia, cui sane non congruit, quod idem  
Ulpianus in L. 3 § 6. ff. d. in rem vers. statuit, etiam illud in rem  
domini versum dici, quod ipsi volenti ad luxuria materiam,  
unguenta forte vel ad turpes sumptus ministratum; quam  
legem eapropter ad casum ignorantis creditoris restringen-  
dam esse censet Brunnem. ad d. l. 3. §. 6. ff. d. in rem vers. licet  
id ratio Juris Civilis non patiat, quæ tamen merito emen-  
danda foret, sicut & emendata est inter conjuges, ubi si mari-  
tus voluptuarias expensas volente uxore fecerit, has repetere  
nequit L. In voluptuarius u. ff. d. impens. in res dot.*

*Quoad ter-  
tium pro-  
banda ver-  
sio.*

*Exemplum  
in filiosa-  
militas.*

§ II. Jam progrediendum est ad illos casus, ubi de ter-  
tio obligando ex pecunia alteri credita agitur, vel ubi non ipsi,  
qui convenitur, pecunia numerata est, sed illa mox impensa in  
rem ipsius, & ille hoc nomine ad restituendum conveniatur.  
Ad primam classem refero filiumfamilias, de quo notum est,  
quod jus Civile in odium foeneratorum L. i. pr. ff. ad SCtum Ma-  
ced. & securitatem parentum §. 7. J. quod cum eo qui in alien. pot.  
obligationem mutui in ejus persona usque adeo enervaverit,  
ut nulla exinde actio efficax, neque adversus patrem, neque  
adversus filium nata fuerit, t. t. ff. C. d. SCto Maced. Dixi ENER-  
VASSE, totam enim filii obligationem ex muruo Jus Civ. non  
reprobavit, sicuti fecit in pupillo sine tutoris auctoritate con-  
trahente, L. 41. ff. de condict. indeb. muliere, contra SCtum Vel-  
lejanum pro alio intercedente L. 40. pr. ff. d. t. sed naturalem  
obligationem, quæ revera in hoc negotio subest, quam max-  
ime agnovit, L. 10. ff. ad SCtum Maced. Hinc factum est, quod &  
filius.



filius. si ejusmodi mutuum ex ignorantia juris solverit, illud per conditionem repetere non potuerit *d. l. 40. ff. d. Condiēt. indeb.* & ipsum Sctum pluribus modis cessaverit, vid. Molina *d. 7. & 7. disp. 301. n. 6. seqq. Colleg. Argent. tit. d. Scto Maced. §. 5.* Illustr. Dn. Cancellarius de Jena *in tr. d. Scto Maced. Sect. 5. aphor. 1. 2. seqq.*

§. III. Inter hosce modos merito quoque refertur, si filius. mutuum in rem patris converterit; cum enim regula juris generalis sit, quod nemo debeat locupletari cum alterius damno, utique & hic contra patrem, qui hoc pacto factus erat locupletior, actio danda fuit. *l. 7. §. 12. ff. ad Sctum Maced. l. 2. C. eod.* Cæterum ut efficax sit illa actio, creditor probare debet, actu verum esse, *arg. L. 1. C. ne filius pro patr. l. 3. §. 9. ff. d. in rem vers* namque hoc non sufficit, si ita accepit ut verteret, nec deinde verit, ne nimia credulitas creditoris patri obsit, aut calliditas filii nocumento sit. *d. §. 9.* Quinimo pater non tenebitur, nisi evidenter pecunia mutua in rem ipsius versa fuerit; textus hanc in rem clarissimus est *in L. 9. §. 2. ff. ad Sctum Maced.* ubi filia ex pecunia mutuo accepta sibi ornamenta comparaverat, & actio contra Patrem nihilominus denegata est. Hoc casu tamen, præsertim ubi res empræ vel nummi adhuc extantes sunt, cum æquitas & justitia (cujus rationem potius quam stricti juris ubique habendam esse præcipit *L. Placuit §. C. de judic.*) aliud postulent, actiones adversus filiam DD. cedunt vid. B. Dn. Simon *in Dissp. de cessat. Scti Maced. th. 23. in f.* Sicuti & in casu, ubi quis filio peregrinanti & egenti, pecuniam bona fide mutuam dedit, atque ille male deinceps eam collocavit, creditori contra filium actionem competere asserunt, vid. Lauterb. *in Colleg. Theor. Pract. tit. ad Sctum Maced. §. 24.* Cum enim Sctum Maced. præsumat malitiam creditoris & corruptionem filii, cessabit illud, ubi hæc cessant, & mutuatarius ad restitutionem mutui maxime in conscientia obli-

*Ex versione hic obligatur pater.*

*modo actu fir versa.*

*Quid sit suam & non patris utilitatem pecunia accepta:*



gatus erit, vid. B. Dn. Brunnemann. *ad d. l. 9. §. 2. ff. de SCtum Maced. n. 2.*

*Patri insu-  
per datur  
actio de filio  
corrupto.*

*nisi ipse  
consenserit.*

§. IV. Mutuans itaque, si unquam alibi, certe hic inquirat, quo pecunia bene vertatur; alioquin enim non solum jure suo & actione excider, Carpzov. *l. 2. Resp. 105. n. 7.* Emenckel *de privil. parent. priv. 12. c. 3. n. 16. seqq.* verum etiam actione utili de servo corrupto patri tenebitur, Zanger. *d. except. p. 3. c. 12. n. 31.* modo pater in contractum filii non consenserit, vel expresse, *L. 2. seqq. ad SCtum Maced. l. 12. ff. eod.* Carpz. *p. 2. cons. 10. def. 16.* vel tacite, puta si quod filius sapius mutuatus est, solvere consuevit, *arg. L. f. ff. quod cum eo qui in alien. Trentacing. var. resol. lib. 3. tit. d. solut. Resol. 19. n. 13.* Franzk. *tit. ad SCtum Maced. n. 18.* B. Dn. Brunnem. *ad L. 7. §. 13. ff. eod. n. 13.* tunc enim Creditor de versione sollicitus esse non debet.

*Cessat hæc  
probatio in  
aliis contra-  
ctibus filii.*

§. V. Quod vero de necessitate probandi versionem hic diximus, procedit tantum in mutuo, nec in aliis contractibus obtinet *L. 7. §. 3. ff. d. t.* Hahn. *ad Wesenb. b. t. n. 8. verb. si tamen filius.* modo non dolose alius substitutus fuerit; qui dolus tamen non præsumitur, sed ab allegante probandus est, saltem conjecturis, ut si filius. prius pecuniam mutuan petierit, & oblata fuerit venditio rei, Menoch. *lib. 3. præsumpt. 122. n. 44. seqq.* item ex qualitate mercium venditarum multum conjicere licebit, Franc. Nig. Cyriac. *L. 2. controuv. 387. n. 66.*

*Filius. re-  
nunciatio  
patri non  
prejudicat.*

§. VI. Paucis adhuc monendum, quod nec filius, nec ejus fidejussor huic beneficio, vel etiam exceptioni de pecunia non in rem suam aut patris versa, in præjudicium patris renunciare possit. *Goëddæus Vol. 1. conf. Marp. 24.* Fachin *L. 2. Controuv. 62.* Christin. *nos. 3. d. 35. n. 10.* Annon vero renunciatio jurata valida sit, de eo vid. Dn. Præses *in Caut. Contr. Sect. 2. c. 1. §. 15.*

*Quid in  
contractu  
cum insti-  
tore inico?*

§. VII. Secundo loco sese offert Institor, sub quo etiam exercitorem comprehendimus. *Struv. Ex. 20. lb. 32.* Institorum alii constituuntur mandato domini ampliori, alii, & ut plurimum,

mum, restrictiori certis duntaxat negotiationibus præficiuntur. Constitutio enim institoris, liberam concedens facultatem, quæcunque debita contrahendi in scio domino præponente, illumque obligandi, tanquam nimis præjudicialis non præsumitur, sed liquido probanda est. *Rocca Dissp. Select. Cap. 102. n. 1.* Probe itaque creditor inquiret in mandatum, ejusque tenorem circumspicte examinet, quali negotio, an emendo, vendendo, agro colendo, mercaturam exercendo &c. præpositus sit institor, *L. 11. §. 5. ff. d. institor. act. l. 1. §. 12. ff. d. exerc. act. B. Dn. Brunnemann ad L. 1. C. d. instit. act. n. 3.* nam si institori jactanti sui principalis fidem, & inserviendi studium adversus Creditorem, hic statim ut doceat, quanti principalem faciat, offerat pecuniam, quantam institor expetit, incivile putans curiosum esse in perlegendo & examinando mandato; postea pecuniam creditam repetiturus à domino cognoscat, institore in pecuniæ mutuo sumendæ non fuisse præpositum, & jam esse fugitivum, & causa & mutuo cadet, sunt verba Dn. Præf. in *Dissp. de civilit. nociv. cap. 5. §. 7. add. Mevius ad Jus Lubec. l. 3. t. 6. art. 5. n. 12. & 13. Gail. lib. 2. Obs. 20. Carpz. p. 2. dec. 133.* Unde Sichard. *ad L. 5. C. d. instit. act.* Cautos, ait, & curiosos esse debere, qui cum institoribus contrahunt, illi enim dominum in majus obligare non possunt, quam in mandatis dedit. *L. 1. §. 5. C. d. instit. & exerc. act.* Quod si vero institor vel magister navis mandatum haberet mutuandæ pecuniæ in negotiationis, cui præpositus est utilitatem, versio præcise probanda non est, sed sufficit, si creditor probaverit, veram adfuisse causam, veluti navem opus habuisse refectione, *L. 7. pr. & §. 2. ff. d. Exerc. act.* ibique B. Dn. Brunnem. ut adeo tali in casu negligentia versionis ei magis nocere debeat, qui personam præposuit, quam qui cum illa contraxit. *Mantica de tacit. & amb. convent. lib. 8. tit. 14. n. 10. vers. quartus casus est. Giurb. dec. 79. n. 28. Rocca d. l. cap. 127. n. 11.* Toties igitur in

mutuo ab institore accepto probanda à creditore est versio, quories vel institor plane ad sumendum mutuam mandato caruit, vel majorem summam quam in mandatis habuit, accepit. *l. 1. C. d. instit. & exerc. act. l. 1. §. 12. ff. d. exerc. act.* Oldendorp. *class. 4. art. 5. n. 3.* Gail. *l. 2. O. 21. n. 7.*

*Versio do-  
cenda si mi-  
nistro Prin-  
cipis credi-  
tum.*

§. VIII. Cum institoribus comparari solent, certis functionibus à Principe præpositi ministri & officiales. vid. Grot. *d. J. B. & P. l. 3. c. 22. §. 4.* quippe qui pariter ex fide & commissione principis certis negotiis expediendis instant. Sicuti ergo, institor principalem indistincte non obligat *ad ill.* ita nec minister Principem. vid. Molina *de J. & J. Tr. 2. Disp. 300. n. 1.* Conf. Dn. Præses in *Disp. d. oblig. Princ. ex fact. ministr. cap. 2. n. 30. seqq.*

*An in mutuo  
sociis dato  
probanda  
versio?*

§. IX. De sociis adhuc videndum, quando in illorum contractibus, si alter eorum pecuniam acceperit, versio probanda sit? Obligatio certe, quæ ex unius socii contractu cum extraneo oritur, quomodo alterius confocii personam afficiat, intricata res est, & quæstiones hic obvenientes non una distinctione decidi possunt. Contrahunt enim socii cum extraneo vel ipsi, vel per præpositum institorem. Ipsi contrahunt vel omnes, vel quidam, vel unus. Si omnes communi consensu contraxerunt, nihil interest quoad versionem, sive societas publica auctoritate inita sit, sive privata; neutro enim casu probatio ejus necessaria, solvens enim seu numerans regulariter non debet esse sollicitus, ut pecuniæ solutæ in causam vertantur expressam, quories hujusmodi onus recipienti non autem solventi reperitur demandatum. *l. f. ff. d. instit. act. l. f. ff. d. exerc. act.* Bart. in *L. Civitas. n. 7.* Rocca *Disp. select. cap. 127. n. 11.* Quanquam modo datam distinctionem societatis publice vel privatim constitutæ, ad fundandam actionem in solidum tam active quam passive plurimum conferre dicant Michalor. *de fratrib. p. 4. cap. 48. n. 23.* Hector. Felic. *d. commun. & societ.*



*societ. cap. 30. n. 30. Sichard. in L. 9. C. si cert. pet. n. 4. Alvar. Valasc. decis. 98. n. 8. Ronchegall. d. duob. reis ad l. eandem. 9. pr. d. t. n. 146. seqq.*

§. X. Si quidam, aut omnes quidem, sed non communi consensu contrahunt, exploret Creditor, an inter socios conventum, quod alter sine alterius voluntate societatis nomine nihil agere debeat, an libera societatis nomine contrahendi potestas relicta. Priori casu de versione crediti sollicitus esse debet creditor, *arg. L. 82. ff. pro socio.* Posteriori, si contractus de rebus ad societatem pertinentibus sit initus, reliqui socii tenebuntur absque versionis probatione; videtur enim alter alteri mandatum dedisse de contrahendo. *Michalor. d. tr. p. 2. cap. 48. n. 7. Ronchegall. d. l. n. 19. & sese invicem tacite preposuisse, Mercur. Merlin. tr. d. pignor. lib. 2. quæst. 76. n. 17. Menoch. vol. 5. consil. 410. n. 37. Christinæus vol. 3. dec. 52. n. 2. quod etiam dicendum de casu, ubi socii negotiationem communem separatim, vel ratione locorum vel ratione negotiationum exercent, Christin. vol. 1. dec. 208. n. 2. & citati à Lauterbach. *Dispp. Tubing. Vol. 3. Dispp. 20. §. 60. confer. Dn. Præses in Caur. Contr. Sect. 2. cap. 10. §. 14.**

*Videndum  
an socii  
conjunctim  
contraxerint.*

§. XI. Si unus contrahit, ille vel est prepositus, vel non est prepositus. Priori casu æque ac institor omnes obligat, de quo mox dicemus. Posteriori, contrahit vel nomine societatis, vel nomine proprio. Nomine societatis de rebus ejus & secundum formam præscriptam contrahens, omnes, etiam sine versionis probatione obligat, quia alter ab altero mandatum habere, & contrahentem omnium fidem potius, quam unius sequi voluisse præsumitur, *Lauterbach. d. Dispp. §. 63. Rocca Dispp. select. cap. 100. n. 5.* Nomine vero proprio contrahens, licet de rebus communibus, *L. 74. ff. pro socio.* imo licet prepositus fuerit, *Christin. Vol. 3. Dec. 53.* ipse solus obligabitur *L. 67. ff. d. t. nisi Creditor versionem crediti in rem societatis probare.*

*An unus nomine societatit.*

probare velit. *d. l. §. 2. ff. d. t.* Quem textum, cum in eo subiectum activum non sit expressum, alii intelligunt de casu, ubi de obligatione inter ipsos socios res est, nec socium ceteros confocios prius obligatos habere putant, quam docuerit, contractum initum cum extraneo versum fuisse in societatis utilitatem; hoc autem onus probandi creditori neutiquam imponendum esse, vid. Hector. Felic. *d. tr. cap. 30. n. 11. seqq.* cum citatis. Verum cum in alleg. text. socii tantum, tanquam causa instrumentalis fiat mentio, verisimilius est, *d. l.* loqui non de iudicio societatis inter socios instituendo, sed de actione, extraneo ad a<sup>s</sup> alienum, ab uno socio contractum, a reliquis sociis exigendum, competente; quæ actio vel utilis erit contractu celebrato juxta Gratian. *discept. forens. 632. n. 11.* Me lin. *dec. Rot. Rom. 139. n. 8. ad tr. d. pignor. & hypoth.* vel actio de in rem verso, utpote quæ vel maxime fundata est in æquitate *L. Si & me & Titium. 32. ff. d. reb. cred.* Rocca *Dispp select. cap. 100. n. 7.* Hector. Felic. *d. tr. cap. 30. n. 13.*

*Quid in societate omnium bonorum.*

§. XII. An vero in socio omnium bonorum, contrahente cum altero itidem versio crediti probanda erit? Videtur dicendum quod non, quia omne a<sup>s</sup> alienum ab huiusmodi socio contractum, in communem censetur societatis arcam esse versum, licet ipse tantum pecuniam acceptam consumpserit, debentur enim ex communi arca & ipsi & toti familiae sumptus & expensæ, *arg. L. 52. §. ult. L. 73. §. 1. ff. pro socio.* provent. *lib. 6. tit. 22. n. 2. seqq.* sed huic recte responsum est à Lauterbach. *d. Disp. §. 44.* non omne a<sup>s</sup> alienum, ab universali socio contractum, posse dici versum in communem societatis arcam, cum pecuniam mutuam aut ludo perdere, aut meretrici dare, aut in pœnam proprii delicti solvere potuisset, quod ex medio societatis non est laturus. *L. 59. §. 1. ff. pro socio.* ut adeo & hic versionis probatio negligi non debeat, vid. Blaf. Michalor. *d. tr. p. 2. c. 33. n. 6. seqq.*

§. XII.



§. XIII. Quando autem focii non ipsi, sed per præpositum institorem contraxerunt, videndum, an institor communi consensu constitutus sit, an verò quorundam duntaxat sociorum. Priori casu omnes obligati erunt, versione etiam non probata, & quidem in solidum, *L. 13. §. f. l. 14. pr. ff. d. institor. act.* Alvar. Valasc. *dec. 98. n. 10.* Cacheran. *Decis. Piedmont. 150. n. 7.* Berlich. *p. 2. dec. 252. n. 6.* Dissent. Gail. *lib. 2. Obs. 24. n. 9.* Posteriori casu illi tantum, qui ipsum præposuerunt, obligati erunt, *arg. L. 4. §. 2. ff. d. exerc. act.* ut adeo versio probanda esset ad hoc, ut ceteri exinde obligentur, nisi reliquis potestatem constituendi institorem dederint, quo casu iterum versionis probatione opus non foret. Præterea hic cavendum, ne institor formam præpositionis excedat, alias enim ultra id, quod in utilitatem societatis versum est, focii non tenebuntur; vid. Dn. Præs. in *Cautel. contr. d. 1. §. 13. inf.*

§. XIV. Hac occasione ad foeminam transeo, visurus an hæc ex mutuo mariti obligetur, si durante societate conjugali in communem utilitatem mutuum acceperit? Certa autem hujus rei decisio est, foeminam neque debito mariti consentientem, nec sese simul obligantem sibi præjudicare, licet multoties consensum repetierit, nisi manifeste probetur, quod in propriam ipsius utilitatem pecuniæ sint expensæ, *avth. si qua mulier C. ad SCtum Vellej.* Barbof. in *ColleEt. ad Cod. d. avth. n. 7.* Maritus enim hic principalis contrahens est; Hinc ad eum pervenisse pecunia præsumitur, nisi manifeste doceatur, hanc in utilitatem uxoris conversam esse. Berlich. *p. 2. concl. 19. n. 59. seqq.* Gail. *lib. 2. obs. 89. n. 1.* Carpzov. *lib. 2. Resp. 75.* Wibel. *tr. d. contraEt. mulier. cap. 5. n. 43. & seqq.* Creditor itaque cum conjugibus contracturus, si aliquando ipsam uxorem obligatam habere velit, cautus esse debet, ut in rem uxoris pecunia impendatur, uti hoc exigit *Nov. 134. Cap. 9.* ne difficili aliquando versionis probatione oneretur. Nam licet & maritus & uxor

Quid si focii per institorem communi consensu contraxerint?

Ex mutuo mariti uxor sine versione non tenebitur.

G

in

in eodem instrumento se debitores constituent, solus tamen maritus exinde tenebitur, subducta mulieris persona, vid. Hahn. *ad tit. ff. de Scto Vellej. n. 9.* Carpz. *d. l. nisi in rem communem mutuati fuerint*, quo casu tamen non in solidum, sed pro sua tantum parte mulier conveniri potest, Struv. *in S. J. C. Exerc. 21. th. 9. in f.* Lauterbach. *Disp. Tubing. vol. 3. Disp. 3. th. 62. n. 1; seqq.* imo licet in instrumento confessio fuerit, pecuniam mutuam in suam utilitatem versam esse, propterea Creditor ab ulteriori probatione non erit liberatus. Hahn. *d. l. quia eadem facilitate, qua inducitur ad se obligandum, praesumitur etiam inducta ad confitendum, nec creditur assertioni parentis actum prohibitum, & ex certa causa permissum, si ipse asserat subesse causam, nisi probet aliunde causam, arg. L. qui testamentum 29. ff. d. probat.* Card. Tuschus *in concl. Pract. voc. assertioni concl. 535. n. 1.* Larro *Decis. Neapol. lib. 2. dec. 148. n. 30.* Quo casu tamen cautelam pro creditore suggerunt, ut videat, quo hac confessio fiat in iudicio, Gail. *lib. 2. obs. 89. n. 5.* Menoch. *de praesumpt. lib. 2. praes. 22. n. 9. seq.* Zanger. *de except. p. 3. cap. 11. n. 135,* cum confessio judicialis, coram competente iudice facta, pro veritate habeatur, *arg. L. un. C. de confess.* Alia autem ratio est in illis locis, ubi mulier socia omnium bonorum mariti ex Statuto fit, uti contingit de jure Lubecensi & Hamburgensi; ibi enim omne aë alienum mariti, durante societate conjugali contractum, agnoscere tenetur, sive quicquam in rem ejus versum sit, sive non; vid. Mevius *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 7. pr.* Statut. Hamburg. *part. 2. tit. 8. art. 1.* De jure Würtenbergico quid obtineat vid. Lauterbach. *d. disp. th. 62. in f.*

De probanda versione ad obtinendam praesumptionem in. §. XV. Denique ad casum me confero, ubi in credito probanda versio est, ad obtinendum pinguius jus, quam quidem ex simplici contractu mutui nasci poterat; e. gr. si quis ad reficiendas aedes mutuam dederit, & in concursu creditorum

torum jus prælationis prætendat. *L. interdum §. ff. qui potior. in* *ver credito-*  
*pign.* Necesse autem est, quo privilegium hoc competat, ut *res.*  
 creditor probet (1.) se dedisse *PECUNIAM NUMERATAM*, *Requisita.*  
 nam si aliani rem præter pecuniam in refectionem credidit,  
 anterioribus hypothecariis non præfertur, per rationes addu-  
 ctas ab Anton. à Mara *tr. d. concurs. credit. lib. 2. tit. 5. n. 6.* (2.)  
 se *SPECIALITER ET NOMINATIM* dedisse ad refectionem rei,  
 nam si simpliciter credidit, in concursu aliorum hoc privile-  
 gio non utetur, licet debitor eam ad rei refectionem impen-  
 disse, *arg. L. Procuratoribus §. S. plane 17. ff. d. tribut. act. Ne-*  
*guz. d. pignor. p. 5. membr. 2. n. 15.* Gail. *lib. 2. O. 12. n. 4.* Berlich.  
*p. 1. concl. 65. n. 133.* (3.) se dedisse ad *REFECTIONEM*, si enim ad  
 rem emendam dedit, neque sibi expresse de hypotheca pro-  
 spexit, personale tantum privilegium habet, per *l. 26. L. 34. ff.*  
*d. reb. autor. jud. possid.* Rauchb. *p. 1. q. 3. n. ult.* ratio diversitatis  
 est, ut invitentur homines ad facilius dandum mutuum in re-  
 fectionem, cum Reipubl. intersit, ne urbs ruinis deformetur,  
 & ædes factæ tectæ conserventur, non ut vendantur. Carpzov.  
*p. 1. c. 28. def. 107.* Covarruv. *lib. 1. resol. c. 7. n. 3.* Bachov. *d. pi-*  
*gnor. l. 1. c. 12. n. 3.* Idem proinde obtinet, si quis crediderit pro  
 instauratione ædificii funditus diruti, si modo aliqua supersint  
 vestigia, uti contra Ripam defendit Rodriguez. *d. privileg. Cre-*  
*dit. p. 1. act. 7. n. 106.* (4.) ex pecunia mutua *REM REFECTAM*  
*Esse.* Gail. *d. l. Mynsing. Cent. 1. Obs. 60.* quæ tamen probatio  
 haud difficilis erit; sufficit enim si per conjecturas saltem id  
 demonstretur, puta si creditor doceat, ædes reparatione indi-  
 guisse & postea fuisse resectas, nec constare unde, *L. Lucius Titius*  
*7. pr. ff. d. exerc. act.* Berlich. *d. concl. 65. n. 135.* cum citatis. Köp-  
 pen. *decif. 28. n. 35.* Carpzov. *d. l. def. 106.* namque ædificia non  
 vento sed cum magno sumptu resciantur. Dn. Haberkorn.  
*in proc. concurs. & prelat. cred. cap. 2. n. 278.* ubi tamen nota,  
 privilegium hoc tantum competere quoad sumptus necessa-  
 rios,

rios, non quoad summam excedentem, si scilicet sciens cre-  
didit, secus si à creditore deceptus fuerit. Berlich. *d. concl. n. 137.*  
(5.) probare debet, domum ex pecunia mutua resectam AD-  
HUC EXTARE, quia si penitus est extincta, creditor qui pecu-  
niam ad refectionem credidit, præferri non potest, nam re  
penitus extincta, extinguitur. pignus speciale Beuther. *d. præ-  
lat. cred. p. 1. c. 20. in med.* Confer. Gait. *d. credit. cap. 4. quæst. 11.*  
*n. 15.* Merlin. *de pignor. lib. 3. tit. 1. qu. 5. n. 66.* Card. de Luca *de*  
*credito disc. 1. n. 11.* Rocca *Dispp. Select. cap. 100. n. 22.* Ut inde  
longe diversa ratio sit, an ob impensas in rem factas conveniri  
possit Dominus rei; & an Creditor prælatione gaudeat. Ad  
illud sufficit, pecuniam semel in rem. ejus versam fuisse, licet  
versio non duret. *L. 3. §. 7. C. & L. 17. pr. ff. de in rem vers.* Verum  
ut in concursu. creditorum beneficio gaudeat vertens, omni-  
no extare debet illud, quod versum est.

*Ratio Juris  
prelatio-  
nis.*

§. XVI. Hisce omnibus probatis creditori hypotheca,  
una cum jure prælationis in ædibus resectis competit, vi cujus  
omnibus hypothecariis etiam anterioribus præfertur, *L. 5. ff.*  
*qui pot. in pign.* ut ut alias in illis regula obtineat: prior tem-  
pore potior jure *l. 1. pr. ff. d. t.* ratio hujus privilegii est, quia hic  
anteriorum hypothecas sua pecunia salvas fecit, *L. 6. ff. d. t. Nov.*  
*97. cap. 3.* Faber *in Cod. Lib. 8. tit. 7. def. 10. n. 1.* & hoc procedit,  
licet creditor nihil dixerit, neque sibi hypothecam reserva-  
verit. Sichard. *ad L. licet 7. C. d. t. n. 2. inf.* Anton à Mara *d. l. n. 7.*

CAPUT IV.

De ipsa probatione versionis.

§. I.

*Cui proban-  
da versio?*



Idimus. hætenus. casus præcipuos quibus versio  
crediti in rem probanda sit, jam ad ipsam versionis  
probationem pergendum. Offert autem se hic  
primo statim loco quæstio, quis nam teneatur pro-  
bare



bare versionem in rem? Atque hoc onus DD. communi suffragio creditori imponunt, *L. 1. C. d. Solut. & liber. deb. arg. Nov. 120. cap. 6. in f. auth. Hoc jus porrectum C. d. SS. Eccles. vid. Hartm. Pistor. d. l. n. 30. Richter. p. 1. dec. 71. n. 6.* Cum enim quisque intentionis suæ fundamentum probare debeat, jura autem adductis casibus non aliter, quam si versio facta fuerit, firmam actionem creditori concedant, ideo necessario creditori onus probandi imponendum fuit. *Cavalcan. p. 1. Decis. 46. n. 14. Petr. Frider. Mindan. d. proc. lib. 2. c. 62. Sect. 8. n. 18.*

§. II. An autem modo dicta indistincte procedant, jam penitus expendemus. Axioma alias juridicum est, privilegium contra æque privilegiatum privilegio suo non uti. Queritur ergo, Si unius Civitatis administratores alterius Civitatis administratoribus mutuuum dederint, an Civitas agens postea ex contractu ad restitutionem mutui, teneatur versionem probare? Equidem Leonard. *tr. d. usur. qu. 22. n. ult.* putat, inutilem fere esse hanc questionem, cum civitates hodie calamitosis hisce temporibus non amplius mutuuum dent; sed libentius accipiant; Sed licet forte rarum sit, quod facile quidem concesserim, civitates otiosam habere pecuniam, casum tamen plane non dabilem haud dixerim: Si igitur eveniat, pro Civitate creditrice pronuntiandum, nec illa ad onus probandi adstringenda est. Si vero civitas debitrice probare possit, nihil ex pecunia mutua in suam utilitatem esse conversum, ab actione absolvenda foret, quia jura semper priora esse debent ad liberandum quam ad condemnandum, vid. Dn. Praeses in *Dissert. d. jure privileg. contr. æqu. privileg. cap. 2. n. 48.* Idem dicendum de Ecclesia, pupillo & minore, si hæ personæ inter se mutuuum contraxerint. Multum tamen juvabit hic respexisse, quis certet de lucro captando, quis de damno vitando, illius enim causa semper potior est, qui agit de damno vitando, Merlin. *Dec. 575. n. 27. seqq.* In contractu tamen inter mi-

*Quid si Civitas Civitanti crediderit?*

norem & mulierem, potiore esse minorem dicit Bichius in *Decis. Rot. Rom. Dec. 229. n. 30.* præsertim si minor reus sit, & conveniatur ad solvendum, quamvis utrinque ageretur de damno vitando. *Peregrin. Consil. 77. n. 39. lib. 1.* Trentacing. *var. resol. tit. de rescript. resola. n. 12.* Bichius *d. l. n. 36.*

Quid probandum?

§. III. Porro quæritur, quid Creditor teneatur probare? Resp. versionem in rem. Dicitur autem versum in rem seu utilitatem alterius, quando quid expensum est in eam causam, ad quam alter vel ratione officii obligatus erat, vel quam intuitu utilitatis exinde percipiendæ non facile omisisset, sive ut verba *L. 3. §. 2. ff. d. in rem vers.* habent, res in alicujus utilitatem censetur versa, quoties procurator mandati, & is, qui aliena negotia gessit, negotiorum gestorum actionem habet; ita si quis probaverit pecuniam mutuam in sustentationem administratoris Civitatis vel Prælati esse expensam, versio sufficienter probata erit, quia Civitas & Ecclesia ad alendos suos administratores obligata est. *Surd. consil. 333. n. 33.* Mantica *d. tacit. & ambig. convent. lib. 8. tit. 15. n. 17.* parili ratione, si filiumf. pecuniam mutuo acceptam ad dotandam sororem, vel ad se vestiendum impendisse probari possit, pater non obstante *SCro Macedon.* ad restitutionem obligatus erit, vid. *L. 17. ff. & L. 2. C. ad SCtum Maced.* quia onus hoc ad patrem spectat, & patri ipsi videtur hoc casu credidisse, *L. 17. §. 12. ff. d. t. Gratian. discept. for. 750. n. 1. & 8.* Bichius in *decis. Rot. Rom. dec. 568. n. 14.* Franc. Nig. *Cyriac. L. 2. Controv. 387. n. 42. seq.*

An versa sit pecunia, quam Civitas Principi credidit?

§. IV. An autem poterit dici versum in rem Civitatis, si civitas mutuam pecuniam, quam modo accepit, statim iterum Principi crediderit? Affirm. Sufficit enim, quod Civitas acquisito nomine locupletior facta sit, *arg. L. 3. §. 5. ff. d. in rem vers.* *Besold. tr. de mutuo c. 20. n. 1.* *Coler. proc. exec. p. 2. c. 3. n. 347.* quod in tantum verum est, ut nec cessione actionis se à creditore liberare possit, *arg. L. 16. C. d. solut.* maxime si sub usuris



furis civitas crediderit. D. Brunnem. in *L. Civitas. n. 12. An. Quid si e-*  
 vero eadem ratione Civitates teneantur ex mutuo, quod non *mutuo pro-*  
 in utilitatem suam conversum, sed in ararium provinciae in *vincia?*  
*die Landschaffes-Cassa* translatum, de eo vid. Manz. *Decif.*  
*Palat. quest. 1.* qui in negativam inclinat, & civitatem cedendo  
 actionem contra ararium provinciae liberandam esse censet.  
 Verum eadem hic ratio est, quam in priori casu. Hinc ut utro-  
 biqueidem fundamentum decisionis ponatur, dicendum puto,  
 an ipsa civitas consentiens pecuniam ab administratoribus mu-  
 tuo acceptam iterum credat Principi vel arario; an id faciant  
 administratores. Posteriori casu placet sententia Manzii; Prio-  
 ri autem casu in priori decisione subsistendum.

§. V. Illud tamen sufficere unanimiter DD. tradunt, si *Quid si*  
 creditor probaverit pecuniam semel esse versam, etiamsi uti- *verso non*  
 litas illa amplius non duret. *arg. L. 5. §. 2. ff. d. in rem vers. L. 47. amplius*  
 §. 1. ff. d. solut. imo sufficit probasse, rem saltem utiliter esse *duret?*  
 coeptam, licet eventus non responderit proposito, *dd. ll. aut res*  
 antequam verteretur plane interierit, *Bocer. class. 3. d. 24. lb. 41.*  
*Carpz. lib. 2. tit. 10. Resp. 107. n. 13. Barbof. locuplet. lib. 10. c. 29.*  
*axiom. 1.* non enim hac in re exitum, sed probabilem rei geren-  
 dae rationem spectandam esse inquit *Grot. d. J. B. & P. l. 2. cap.*  
*14. §. 12. n. 2.* Differentia autem, quam ibidem inter imperan-  
 tem & Reipubl. negotiorum gestorem constituit, nec Lauter-  
 bachio nec nobis placet, vid. *Dn. Praeses in Disp. d. event. c. 3. n.*  
*33.* Similiter in contrario, si eventus fuerit utilis, licet injitium:  
 tale non sit, actio non deneganda est, *L. 7. §. 12. ff. ad SCtum:*  
*Maced.*

§. VI. Jam ad modum versionem probandi ingredi- *Versio pro-*  
 mur; Ubi primo se sistit probatio illa, quae inartificialis dici *batur per*  
 tur, qualis est illa, quae fit per instrumenta, vel testes. Debent *in instrumen-*  
 autem instrumenta, quo probent, ita esse comparata, ut rea- *tm.*  
 lem statim atque actualem versionem praeseferant; verba e-  
 nim.

qualia hæc  
esse debeant

nam obligationi inserta VERSIONEM IN REM ESSE FACTAM, Creditorem ab ulteriori probatione non relevare, superius *cap. 2. §. 19.* dictum est. Ejusmodi itaque instrumenta hic requiruntur, quæ non possunt non judici plenam facere fidem de versione realiter facta, qualia forent e. g. si quis mutuam daret pecuniam Civitati vel Ecclesiæ, ut debitum solveret, & faceret sibi à creditore, à quo liberantur, tradi obligationes & quietantiam debiti soluti, ille in promptu statim habebit probationem versionis factæ in rem Civitatis vel Ecclesiæ, modo debitum, quod solutum est, etiam legitime fuerit contractum, nam si Civitas vel Ecclesia ad soluti debiti præstationem firmiter non fuit obligata, neque ad novi debiti solutionem adstringendam esse puto, *arg. L. 7. §. 14. ff. ad Scutum Maced.* Item si quis Ecclesiæ crederet ad reparationem templi, & faceret sibi tradi ab operariis apochas, sibi ex pecunia hujus creditoris solutum esse, ille ulteriori probatione non egebit, Germanice dicimus: *die Dinge-Zettel der Handwercks-Leute mit derselben Unterschrift des bezahlten Arbeits-Lohns.*

versio probatur per testes.

§. VII. Deinde probari versio poterit per testes, non qui numerationi soli, sed qui ipsi versioni præsentés fuerunt: Testi enim ordinariè non creditur, nisi deponat de eo, quod sensibus corporeis percepit, quia inde ratio dicti desumenda. *Mascard. d. probat. concl. 278. n. 8.* Illud enim demum testis scire dicitur, quod novit per sensus corporis. *Decius p. 1. conf. 189. n. 6. Lessius de F. & F. Lib. 2. Cap. 30. dubit. 4. n. 34.* Hinc certum est, testem de auditu hic nihil probare. *Merlin. Decis. Rot. Rom. 332. n. 2.* An autem meliores hic sint testes architecti & in arte periti, quam alii, de eo vid. *Mascard. concl. 1041. n. 14.* Ubi omnino judicis est arbitrari, an personæ testium ita comparatæ, ut qualitatem versionis satis percipere potuerint. Sane non facile hic testes, quales haberi possunt, repellendi sunt à iudice. *Garf. de expens. & melior. Cap. 20. n. 23. De cætero cum*



cum meliorationum & expensarum probationes facile inter-  
cidere possint, caute agit Creditor, ut testes ad perpetuam rei  
memoriam examinentur. *Mynsing. Cent. 4. Obs. 72. n. 4.* Bartol.  
*ad L. 40. n. 1. ff. ad L. Aquil.* Sed quid si unicus tantum testis  
adfit? Nec hic repellendus esset, nam si exceptione major sit,  
locus erit juramento suppletorio, sin minus purgatorio. vid.  
*Carpzov. lib. 2. Resp. 75. n. 17.*

*Ut Oculari  
inspectio-  
ne.*

§. IIX. Multum etiam hic operabitur ocularis inspe-  
ctio ad informandum judicem, cum hæc validissima & liqui-  
dissima probatio dicatur. *Postius de manuten. Obs. 19. n. 72.* *Coler-  
d. proc. excc. p. 3. c. 9. n. 101.* Nam quod oculus videt nemo fideliter  
negat. *Wesembec. vol. 1. conf. 58. n. 14.* Unde etiam testes  
ad illum locum adduci solent, ut ostendant, quænam melio-  
rationes factæ, ut eo melius suas depositiones declarare pos-  
sint, *Ruland. d. commissar. p. 2. lib. 3. cap. 11. n. 3.* conf. *Menoch.  
remed. 5. adipisc. poss. n. 16.* Hic tamen iterum attendendum,  
non sufficere, si curatores oculariter ostendant meliorationes,  
sed docendum quoque est, ex pecunia mutuo accepta easdem  
factas esse: Interim tamen præsumptio inde nascitur, tandiu  
efficax, donec probetur, ex alia pecunia administratorem has  
expensas fecisse. conf. *L. f. C. d. aliment. prest.* Imo nec sufficit,  
si ostendatur, ex illa pecunia ædificium Civitatis vel Ecclesiæ  
exstructum esse, nisi simul ostendatur, hoc ædificium esse utile.  
*Menoch. lib. 2. d. A. 7. 2. cas. 432. n. 42. seq. Berl. p. 3. dec. 205. n. 47.*

*Anjura-  
mentum su-  
per versione  
deferri pos-  
sit?*

§. IX. Sed annon hic locus etiam erit juramenti dela-  
tioni super facta versione? Affirmativa inde probabilis est,  
quod ubi locus est probationi, ibi etiam juramenti delationi,  
etiam si quis nullas alias conjecturas pro se habeat. *L. 9. C. d. reb.  
cred. Carpzov. lib. 1. Resp. 77.* *Setser. de jurament. Lib. 4. cap. 2.  
inf.* Verum hic probe attendendum, cui juramentum defe-  
rendum sit; Cujus enim confessione negotium non confici-  
tur, illius nec jurata assertio sufficiens erit. Unde frustra Cu-  
rato-

ratoribus & Administratoribus deferuntur, cum hi faciles forent ad jurandum, quo à nexu liberentur; Hinc Ecclesiam juramentum Prælati non obligat, *cap. mulier X. de sentent. excommun.* Deferendum itaque est ipsis principalibus, in Civitate Civibus, in Ecclesia Capitulo, & Minoribus tunc si ad justam ætatem pervenerint, quod ulterius apparebit ex seqq. ubi de probatione versionis per confessionem jam agendum.

*Confessio an  
probet ver-  
sionem?*

*Neg. de  
confessione  
administra-  
torum.*

§. X. Sequitur itaque confessio, quæ omnium optima esse censeretur, præsertim cum illa dicatur probationum probatissima, Cravetta *Conf. 380. n. 12.* Menoch. *Conf. 21. n. 14. & Remed. 1. Recuper. poss. ff. n. 207. seqq.* quapropter videndum, an hæc etiam prolicet creditori mutuum repetenti? Et interesse hic puro, an cum minore negotium sit, an cum illis Collegiis, quæ jure minorum utuntur, an tandem cum horum Curatoribus aut Administratoribus. Quoad hos res expedita est, illorum confessionem in præjudicium minoris vel corporis, cui præsumunt, non sufficere. Curator enim sua assertione se quidem gravat, non autem pupillum vel minorem, *L. Certum 6. §. sed autem 4. ff. de Confess.* Pariter si Abbas vel Administrator attestetur, pecuniam in utilitatem Monasterii vel civitatis esse versam, hoc non sufficit, ut creditor ab onere probandi liberetur; Paul. de Castro *Vol. 1. Conf. 338. n. 3.* Berlich. *Part. 3. Decis. 305. n. 4.* Tamburini. *de Jur. & Privileg. Abbat. Tom. III. Disp. 13. q. 7. n. 4.* Cujus ratio evidens est, cum eadem facilitate Administratores versionem confiteantur, qua mutuum contraxerunt, præsertim cum videant, in se redundaturum esse periculum restitutionis pecuniæ, si versionem non faterentur, *L. Civitas 27. ff. de R. C.* hinc generaliter tradunt Jason & Dec. in *L. si donatione C. de Collat.* confessiones earum personarum, quæ actum aliquem libere expedire nequeunt, nisi certa qualitas, quam accessisse asserunt, interveniat, nullam probationis vim obtinere. Philipp. *Dec. 16. Obs. 2. n. 7.*

2. n. 7. confer. Mascard. *de probat. concl. n. 20.* Quod si tamen de talibus Administratoribus quæstio foret, qui nomine totius Civitatis facultatem contrahendi habent, tunc quidem eorum confessio validior esset; Verum cum eo casu exceptio de pecunia non in rem versa penitus celsset, frustranea quæstio erit de effectu confessionis. Vid. Berlich. *d. Decis. 305. n. 15.*

§. XI. Quod attinet ipsius minoris confessionem, tunc illa aut facta est durante minorennitate, & hæc ipsi non præjudicat, cum ætate lubrica id fecisse videatur, & hinc si hac confessione læsus, parata ipsi erit restitutio in integrum. Quod si vero majorennitatem adeptus fateatur versionem, jam creditor ex confessione debitoris liquidum jus pro se habet, nec ulteriori probatione gravandus: Sicuti enim minor, majorennitatem adeptus negotium in minorennitate gestum approbans, non amplius restituitur, sed ex hac sua ratificatione valide obligatur, *per Tit. Cod. Si maj. fact. rat. habuer.* Ita quoque idem obtinebit, si major factus mutuum in sui commodum versum esse professus fuit.

*De confessione minoris.*

§. XII. Eadem ratio est Civitatis, quæ si conventa ex mutuo, administratorum versionem confiteatur, non amplius onere probandi gravandus erit Creditor. Verum cum civitas jure minorennium utatur, & hinc si tali confessione læsa sit, restitutionem petere possit, nondum securus erit creditor, nisi quadriennio, petendæ restitutioni destinato, penitus elapso. Interim attendendum hoc casu tam quoad minorem, quam quoad civitatem, quod si semel versionem confessi fuerint, & ad restitutionem provocaverint, creditorem non gravandum esse versionis probatione; Sed minori aut civitati incumbere probationem non factæ versionis; quia alias restitui non possent, nisi læsione prius probata, hæc autem aliter probari nequit, nisi pecuniam, quam versam esse confessæ est Civitas, non versam esse ostendatur.

*De confessione Civitatis.*

De confes-  
sione Eccle-  
siae.

§. XIII. Si de Ecclesia quaestio sit, cum haec aequè con-  
fiteri nequeat, quam Civitas, sed semper per administratores  
vel Capitulum rebus suis super sit, Capitulum autem integram  
Ecclesiam representet, hinc confessionem totius Capituli  
de facta versione sufficere puto, ut liberetur Praelatus vel Ad-  
ministratores Ecclesiae, qui mutuum accepit; Cum autem nostrae  
Ecclesiae in oppidis & pagis aliter administrantur, & Admini-  
stratoribus, sive Patronis sive aliis, quos *Kirchen-Versteher*  
appellamus, nunquam libera potestas Ecclesiam obligandi  
concessa sit, hinc eorum confessio non nocebit Ecclesiae, sed  
versio adhuc probanda, nisi consensu Consistorii cum Ecclesia  
contractum fuerit.

De presum-  
ptione ver-  
sionis.

§. XIV. Jam progrediendum ad probationem artificialem  
quae expeditur per conjecturas & praesumptiones; Cum enim  
difficilis sit versionis probatio, ipso satente Imperatore in §. 7.  
*quod cum eo qui in alien. potest.* non adeo rigidus esse debet ju-  
dex, ut ocularem semper & necessariam probationem exigat,  
sed sicuti in aliis difficilioribus probationibus, ita & hic conje-  
cturas & praesumptiones admittere potest, per ea quae tradit  
Menoch. *d. arbitr. jud. quest. cas. 432. n. 33. & de presumpt. l. 3.  
pres. 55. n. 4. Mascard. de probat. concl. 107. n. 7. seqq.* Redoan.  
*d. reb. Eccles. non alien. qu. 4. §. Verum.* Aloys. Riccius *in prax. for.  
rer. Eccles. dec. 3.* ubi varias hujus farinae conjecturas exami-  
nant. Equidem contra Civitates regulariter non ex presump-  
tionibus, sed ex veritate agendum esse, vult Henning, *Goden.  
cons. 34. n. 50.* & conjecturas de versione in rem Ecclesiae non  
aliter admittit cum Castrenf. Bichius *in Dec. Rot. Rom. dec. 599 n. 5.  
& 16.* quam si sint vehementes, & agatur de contractu mutui  
palam & publice gesto, ex talibus enim iisque pluribus con-  
junctis, probationem veram non praesumptivam nasci existi-  
mat. Verum cum vix quisquam cum civitate vel Ecclesia si  
perniciosis hisce subtilitatibus semper uteretur, esset contra-  
cturus.



cturus, *arg. L. 11. ff. ad Scutum Vellej.* atque adeo illa facile damnum incurrere posset, quam solam rationem pro receptione hujus sententiae sufficere purat Mantica *d. tacit. & ambig. convent. L. 8. tit. 14. n. 15.* atque insuper probatio conjecturalis etiam sit probatio, *L. licet Imperator 74. ff. d. legat. 1.* ibique Jafon. *n. 13. conf. Covarruv. lib. 2. var. resol. c. 6. n. 2. Menoch. lib. 1. pres. 36.* & quos citat Dn. Tabor. *in tr. d. tortur. ad art. 27. th. 3.* iudex (cujus prudenti arbitrio tota fere hac difficultas relinquenda, *arg. L. 3. §. 2. ff. d. testib. Menoch. d. l. n. 35. Mascard. d. concl. 1167. n. 10. Carpz. lib. 2. tit. 10. Resp. 107. n. 16.*) optima ratione conjecturalem probationem admittere potest, ita tamen, ut prior sit juxta Alciat. *ad L. Civitas n. 19.* quem citat Burger. *in observat. jurid. polit. milit. Cent. 4. Obs. 83. in med.* ad pronunciandum pro hac probatione, si ex redditibus & fructibus citra immobilium Civitatis, & consequenter etiam Ecclesiae alienationem creditori satisfieri potest; difficilius, si ejusmodi bona alienare necesse sit: A Etolin. vero *in Resol. 38. n. ult.* in dubio simpliciter pro favore Ecclesiae pronunciandum esse autumat, quamvis & juramento suppletorio praesumptiones adjuvari possint. Berlich. *dec. 205. n. 54.* Illud adhuc notamus, quod versio facta in utilitatem Civitatis vel Ecclesiae facilius praesumatur, quam in rem minoris, quia regulariter à viris probis reguntur & administrantur. Oddus *d. reslit. in integr. p. 2. qu. 51. art. 7. in f.*

§. XV. Quid si vero nec testes habeat, nec instrumenta, nec praesumptiones adeo praegnantibus, nec in contrahendo cum administratoribus satis providus fuerit, qualia tunc ad facilitandam versionis probationem habebit subsidia. Creditor? Resp. Poterit ille statim directa actione convenire administratores, & si illi excipiant de versione facta, illud probare debent. *arg. L. 1. §. 19. C. d. probat.* vel si ipsi onus probandi impositum est, poterit implorare officium judicis, ut administratores, quibuscum contraxit, tanquam proprii facti optime conscii,

Quid si & probationes & praesumptiones deficiant.



ipsi assistant & doceant, in quos usus pecunia mutua erogata sit, *arg. L. 20. seq. C. de evict. l. 38. ff. eod. Gail. d. arrest. c. 9. n. 5. inf. Burger. d. l. quod si administratores facere recusaverint, contra ipsos ceu suspectos actio dirigi potest. Hartm. Pistor. qu. 37. n. 47. atque ita tam in causa civitatis quam pupillorum responsum esse testatur Carpzov. lib. 2. tit. 10. Resp. 107. seqq. & lib. 5. tit. 8. Resp. 78. n. 22. quod tamen tantum de exemplis cap. 2. hic relatis, non de reliquis intelligo. Vel denique, quod plurimum conferet, potest Creditor petere, ut administratores exhibeant libros rationum, ut perspicere liceat, quo pecunia versa sit; utut enim alias juris sit, reum non teneri ad rationum vel instrumentorum editionem, *l. 4. & f. C. d. edend. ratio est in l. 7. C. d. testib. limitatur tamen regula, nisi Actor illam non tam ad fundandam suam actionem, quam ad eam adjuvandam & supplendam, uti hic, petierit. vid. Beilich. p. 1. concl. 45. n. 48. Carpz. lib. 3. tit. 8. Resp. 78. Hector. Felic. de societ. cap. 31. num. 32.**

*Conclusio.*

§. XVI. Itaque curiosus semper, quoties cum persona minus habili contrahit, creditor esse debet, quo pecunia probe vertatur. *L. 3. §. 9. ff. d. in rem vers. L. 17. pr. ff. ad SCtum Vellej. ibique Gothofr. lit. m. & p. Molin. d. usur. q. 37. n. 281.* ut probationem statim in promptu habeat, & sua re facilius portiarur. Atque hæc de difficili versionis probatione dixisse sufficiat. Deo T. O. M. immortales ago gratias, quod & consilio & auxilio hæctenus mihi adesse voluerit. Adspiret porro benignissimum Numen studiis meis, atque ad suam gloriam & patriæ emolumentum omnia clementer dirigat,

F I N I S.



HENRICI GEORGII,  
COMITIS DE WALDECK.  
ET PYRMONT  
*ACCLAMATIO*

*ad*

Clariss. DN. CANDIDATUM.



Ex Romana suis subtilibus e-  
micat armis;

Ast Germana sua simplicita-  
te nitet.

Subtiles leges duræ, sed provi-  
dâ Jura.

Inseruit nostris cordibus ipse Deus.


Tu Germana: Tuo jungis certamine Jura,

Et sic Germanam dexteritate fidem.

Ostendis. Grator Tibi quod tribuantur ho-  
nores:


Nam Germana fides præmia semper habet.

Ar-


 Rdua res patriæ, Lucâ, superare secundam  
 Spem, nec sorte sua fallere vota laris.  
 Egressus *luco* cœpisti spargere *lucem*  
*Luce* serenatum jam nitet ore decus.  
 Ergo Te *vertisse*, Deus, quod *credidit* ingens  
 Clarius hac ipsa nunc *bene luce* probas.  
 Sub Te ceu *Lucotelix* habitabit opaco  
 Patria, Te *lucem* fausta sequetur ovans.  
 Felix, cui *luco* requiescere, cui *dare lucem*  
 Sic licet: & Patriæ gratulor atque Tibi.


*Nobiliss. ac Doctiss. Dn. Candidato benevo-*  
*lentiæ testandæ ergo sec.*

J. Brunnemannus, J. U. L.


 ic parit insignem Pindi solertia laudem,  
 Sic labor assiduus tempora docta beat.  
 Hactenus impigro sudasti in jure labore,  
 Hocce satis Jenæ mœnia docta probant.  
 Hinc quoque promeritam laurum Tibi prompta paravit,  
 Qua nunc Hala tuum cinget Amice caput.  
 Maeste Tuis ausis: quid nos? gratamur honorem,  
 Adlunt sic studiis præmia digna Tuis.

*Non fucratam erga Dn. Candidatum amicitiam*  
*& amorem testaturi scribeb.*

Conterranci.






Halle, Diss., 1707 (S-T)







Halle, Diss., 1707  
(ST)

ULB Halle

006 871 321




3

W 18







Pr. 15. Num. 13.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
De.  
**PROBANDA VER-  
SIONE CREDITI,**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS  
BRANDENB. HEREDE &c. &c.

*In Regia hac Fridericiana,*  
EX DECRETO ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICAE,  
PRÆSIDE  
**DN. SAMUELE STRYKIO, Jcto,**

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ  
ET ELECTORIS BRANDENB. CONSILIARIO INTIMO,  
PROFESSORE PRIMARIO, ET FACULTATIS  
JURIDICÆ ORDINARIO,

*Patro*  
PATRONO OMNI ANIMI CULTU ÆTERNUM  
PROSEQUENDO,

**PRO LICENTIA U. J.**

d. *Maj* **Maji A. R. S. M DCCI.**

Horis ante & pomeridianis,

IN AUDITORIO MAJORI,

*publicæ eruditorum disquisitioni submittit*

**JOHANNES CHRISTOPHORUS LUCAS,**

RATISBON.

HALÆ MAGDEBURG. Typis Johannis Jacobi Krebbii, Acad. Typogr.

